LEONARDI PORTII ... DE SESTERTIO, TALENTIS, PECUNIIS, PONDERIBUS, ...

Leonardus : de Portis

Digitized by Google

LEONARDI PORTII

Iuriſconſulti Vicẽtini de Seſtertio, Talẽtis, Pecuniis, Põderibus, Mẽſuris, Stipẽdiis militaribus antiquis ac prouinciarum, regum, populi Romani, Cæſarũq; redditibus, libri duo, in quibus complura loca ſcriptorũ clariſſ. Plinii, Columellæ, Celſi, Liuii, Iuuenalis, tum acri iuditio, tũ exquiſitiori doctrina caſtigantur, aperiũtur, illuſtrantur.

Præterea additus eſt Index rerum & uerborum, quæ hoc in opere digniora ſcitu uiſa ſunt.



Digitized by Google

Digitized by Google

NIHIL Erat in omni literaria re noſtrati per-
plexũ inuolutumue magis, q̃ꝫ hæc ipſa priſco-
rum nũmorum explicandi ratio. nihil implica
tius olim etiam doctis hominibus uiſum, q̃ꝫ cum ueterem
auri, argentiq; uſum, numiſmata, eorum pretium, multarũ
deniq; rerum pondera, ac menſuras attigiſſent. Quare ita
plane factum, ut milleſimum & amplius abhinc annũ res
hæc tota maxime neceſſaria, & perutilis noſtris homini-
bus aut relicta, aut ignorata ſit. Et iacuiſſet hæc ſane pars
diutius altiſſimis oppreſſa tenebris, niſi Portius noſter cũ
Maiorum ſuorum gloria celebris, quæ Vicentiæ iampri-
dem florens longe, lateq; terram Italiam hodie peruagat̃,
tum ſua laude illuſtris, rem obſcuram primus tentare auſus
feliciter illuſtraſſet. Nec uero uendicatam hanc Portio no
ſtro ut authori palmam, docti homines (ut opinor) inique
ferent. ſiquidem meminerunt illi, multos iam annos, huic
egregio hominis inuẽto, teſtimonium in annotationibus
in Trãquillum meis a me eſſe tributum. Eſt.n. hic uir cum
cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero ſint, ornatus
omnibus, tum acer inueſtigator & diligens earum rerum,
quæ ſuapte natura inuolutæ, cum primum ingenio & in-
duſtria explicatæ fuerint, magnã laudem homini pariant.
Erit igitur hic tibi libellus lector optime, ſtudioſius pel-
legendus. hunc tu ut in manibus frequenter habeas, nõ ſo-
lum Portii ipſius gratia, cui etiam atq; etiam debes, uerũ
etiam rei ipſius pulchritudine & fructu uelim. nec ille pla-
ne expectationem fruſtrabitur tuam. Nam cum omnium
ſtudiorum, literarumq; cognitio expetenda nobis ſit, hæc

Digitized by Google

quoq; pars minime contẽnenda. qua quid ſeſtertiũ, quid talentum, quæ auri, argẽtiq; priſcis ſeculis proportio, qui prouinciarum, regũq; ueterum, ac Romani maxime Imperii redditus fuerint, menſuræ deniq; ueteres omnes ac rerum pondera explicantur. quod ſi hodie in una, altera ue ciuitate magni ſæpe uiri iudicati ſunt illi, qui aut perite rationes conficiãt, aut omnem explicandæ pecuniæ, traiiciendæ ue rationem probe calleant (ſiquidem in omnibus imperiis pecuniaria hæc ratio plurimum ualere ſemper exiſtimatur, ut non male bellorum nerui & regnorum theſaurus eſſe dicatur) quid de Portio ſentias? qui breui admodum opuſculo, ueluti in tabella, pictũ tibi uniuerſum hũc orbem (ut ita dicam) pecuniæ depinxerit, ut omittam eũ fructum, quem humanioris literaturæ noſtratis ſtudioſi, iam maturum ex Plinio, ex reliquis percipiẽt, qui ante hac acerbitate, immaturitateq; ſua, quod ad hanc partem attinet, ingratus haberetur & iniucundus. bene Vale.

Digitized by Google

LEONARDI DE PORTIS IVRISCONSVLTI VICENTINI DE SESTERTIO, PECVNIIS, PONDERIBVS ET MENSVRIS ANTIQVIS, LIBER PRIMVS.

COMMERCIA Rerum permutando cuique ſuperflua & neceſſaria cœpiſſe ratio ſubeſt, & certiſſimi authores prodidere, poſtea emptiones & uenditiones ex uſu & commodo repertas, quum metalla in hominum cognitionem deueniſſent, quibus diuerſa poſtea pretia impoſita ſunt, prout quæq; ſpecioſa cõmoda, aut rata credita. aurum uero cur aliis pretio & dignitate præſtet, non ex his tãtum proceſſiſſe, ſed ratione naturali, & ex arcanis philoſophiæ deprompta plæriq; crediderũt. quippe cum natura, cui nihil perire poteſt, in continua tamen ſuarum partium tranſmutatione uerſetur, eas merito præſtãtiores, quæ huiuſmodi trãſmutationi minus obnoxiæ reperirentur, homines exiſtimarũt, ut magis defecatas & propius ad naturam principiorũ accedẽtes, quæ ſane incorruptibilia ſunt, & ſua puritate ab omni iniuria cõuerſionis præſeruãtur. Cum igitur aurum, cui nihil igne deperit, nec ſitu, nec flãmis corrumpatur, nec in aliam ſpeciẽ, quo minus naturam ſuam retineat, tranſmutari poſſit, non facilitate, põdere, colore, quibus multis cedit, ſed ut perfectum naturæ opus, nedũ aliis metallis, ſed omnibus illius partibus dignitate præſtantius, & pretioſum magis non immerito iudicarũt, quibuſdã paucis exceptis, ut carbunculis, adamantibus, & aliis non permultis, eadem fortaſſe

Digitized by Google

ratione,uel ſolo luxu & hominum libidine commendatis. Cum metalla igitur ad commercia uetere illo permutan-darum mercium uſu cõmodiora in uſu eſſe cœpiſſent,una cum his ſtatim cupiditates, & earum comites fraudes, & auaricia,& cuncta ſcelera prodiere. Quæ bona omnia, & commoda bonis initiis reperta,ad malos ſemper exitus,& hominum perniciem conuerterũt. Hinc Promethei fabulam originem cœpiſſe reor, quem furatum ignem Ioui.ſ. rerum cognitionem & prudẽtiam e cœlo traxiſſe,cum in maliciam conuerſam animaduerteret, pœnituiſſe illũ credi par eſt,& aquilam eius iecur, cupiditatis ſedem & cauſam, inceſſanter roſiſſe, non ſine occulto & utili myſterio finxit antiquitas.quo pœnitentiam & pœnam obiter ſignificaret eius, qui mortale genus ſua illa felici & beata ſimplicitate priuaſſet. hinc illa iniqua & uulgata metallorum inſectatio,ueluti malorum omnium cauſam præſtiterint, cum iure ac merito nerui terræ, & præcipuũ naturæ opus appellari poſſint.prius enim ex iis utilitates, poſtea cõmercia reperta ſunt. Quæ.n.exerceri ars?quid utile? quid pulchrum fieri ſine ferro poteſt?ſi ad cædes, & urbium expugnationes, & ad omnia mala homines poſtea conuertere, quid eſt quod ferro imputetur?æris,argenti,auri.& aliorũ metallorum cõmoda ad medicinam, & alios neceſſarios uſus, longum eſſet referre.ſi ex cupiditate tanti boni orta eſt auaricia, & inde omnia mala, cur metalla inſectamur? ſed illis omiſſis, non ne commercia & hominum conuentus his præcipue conſtant? non ne mutuo uſu & conſuetudine diſciplinæ & artes inuentæ? ex quibus prudentia,iuſtitia, pietas, & reliquæ uirtutes originem traxere, non ne ciuitatibus & oppidis fabricãdis occaſionem præſtitere?

Digitized by Google

profecto quod intelligant, quod cognoſcant, quod a feris diſtent, & deniq; quicquid boni habeant mortales, pro maiori parte metallis acceptū ferre poſſunt, quod non ſolum ratione, ſed etiā exemplo iam domeſtico demōſtrari poteſt. Quanto minus a feris ſuis, elephantis, ſimiis, & aliis huiuſmodi paulo mitioribus, q̄ a nobis differūt homines illi in extremis mundi partibus ab hiſpanis nuper inuenti? cur cum eandem faciē & membra habeant, non eoſdē ſenſus & iudicia? Non has differētias natura fecit, cui ſatis fuit hominum genus ad percipiendas diſciplinas idoneū magis q̄ cætera animalia procreare, ipſi homines mutuo uſu ſe inuicē docentes, quod quiſq; ſciret, prudentiores effecti ſunt, fient aliquando illi, & poſtea mali, ut nos, & eorum malicia, non commercia metallis cōtracta, erunt in cauſa. Quibus ſublatis omnes quidem artes, mores, diſciplinæ. & cuncta bona una deficerent, & citius nos illis hominibus pene feris ſimiles, q̄ nobis illi efficerentur. Sed longius fortaſſe q̄ decuit, euagatus ſum, ut diluerem immeritam calumniā præcipui boni. Ad propoſita nunc accedā. Rudibus metallis primo teretibus ut uirgulis, uel in latitudinem diffuſis, poſtea ad reprimendas adulterantium fraudes ſignatis, in commerciis uſos fuiſſe mortales ſatis conſtat. quibus diuerſis imaginibus impreſſis, hominū, & animalium, ut ſagittarii, noctuæ, & aliarum rerum diuerſa nomina impoſita ſunt, ut Darici, Philippei a regibus, a pōdere, numero, & rebus impreſſis, græcis drachmæ, Tetracini, oboli, minæ, latinis Denarii, bigati, quadrigati, ſeſtertia, & generali uocabulo nūmi, ſeu pecunia appellati ſunt. Quorum nomina, & pretia, adeo iam uoluētibus ſæculis in deſuetudinem abierant, ut pauci quid denarii, minæ, talenta,

pauciſſimi q̄d ſeſtertia, uel forte nulli (abſit uerbo īuidia)
noſtro æuo intelligerent, ita ut ſcirent pecuniis noſtri tem
poris conferre. Quapropter quum ſtipendia militū, red-
ditus, & theſauros populorum, & regum tributa gentibus
impoſita, cōditiones fœderū, priuatorum diuitias, impen
ſas ædificiorum, deniq; pretia rerū apud antiquos autho-
res poſita, unde multa in exemplum & ad noſtram inſtitu
tionem trahi poſſunt, cognoſci maxime operæpretiū ar-
bitrarer, quid in hac materia cōfuſa, & difficili inuenerim,
utilitate rei, & multorū ſtimulis impulſus, qualicunq; ſty-
lo tradere conſtitui, cum in huiuſmodi rerum cognitione
non ſtyli gloria, ſed inuenti utilitas cenſeri ſoleat, eoq; ma
gis in hoc, quia in diſcutiēdis his, nedū pecunias, ſed pon
dera antiqua obiter quoq; excutere, & noſtris conferre ne-
ceſſe fuit. quibus liquorum & ſeminum mēſuræ facillima
diſquiſitione elici & cognoſci poterūt, quod maxime, le-
gentibus utile & iocundū fore putaui. His paucis præmiſ-
ſis, quæ profeſſus ſum, aggrediar. Diuerſi ponderis & no-
minis fuiſſe Talēta apud ātiquos ſatis conſtat, Aegyptiū,
Phœnicium, Babyloniū, & alia, quorū rationes p̄termiſi,
ꝙ ad ea quæ dicturus ſum, non multū cōferre exiſtimaui.
ſed duo præcipue in uſu fuiſſe, uidelicet maius, Euboicū
appellatū, quod in ſe habuit mnas, quas latini minas dixere
octoginta, & Atticum quod ſexaginta. Mina in ſe habuit
drachmas cētū. Drachma ſcrupulos tres, Scrupulus obo-
los duos, Obolus ſiliquas tres, Libra romana, quam eandē
fuiſſe, qua nos utimur nedum coniectura, ſed uera cōputa
tione puto me reperiſſe, uncias in ſe habuit duodecim, un
cia drachmas octo, & ſic libra drachmas nonagintaſex, Vn
ciæ & Drachmæ in numero noſtræ & ātiquæ libræ cōue

niunt,

niunt, quia totidem noſtram librā̄ conſtituunt, Drachmas uero, & uncias antiquas noſtris conuenire duplici argumento, & utroq; probabili, & quaſi demonſtratiuo puto deprehendiſſe, cum apud antiquos, & noſtro æuo drachmam eſſe octauam partem unciæ conſtet, & denarii antiqui, quos frequentiores pondere drachmæ fuiſſe inferius apparebit, nūc diuerſiſſimis in regionibus reperti octo noſtrā (ſicut & antiquā unciam) & nonaginta ſex libram impleant. Præterea ſicut uncia noſtri temporis charactos. cxliiii. continet, quo pondere fere minimo monetarii, & aurifices nunc utuntur, Drachma uero, quæ eſt octaua pars unciæ, charactos. xviii. ita antiquā unciam, & drachmam totidem ſiliquas, ex computatione p̄miſſa apparet habuiſſe, Siliquas uero antiquas noſtris charactis conuenire & nomine, & effectu omnibus qui experiri curabunt, conſtare poterit. Quia pro ſiliqua ſemina illius pomi, ſiue fructus quem Græci Cæratium, noſtri uulgo nunc charobam appellāt, accipiebāt, & inde Græco corrupto uocabulo pro ſiliquis characti nomen in uſu eſſe cœpiſſe librando deprehendi, quia eiuſdem ſunt ponderis, ſi ſemina pleniora, & matura, & non flaccida, & exhauſta eligantur. Sed Romani in mentione pecuniæ, & maxime ſeſtertii, ut inferius demonſtrabitur, Mina. ſ. pondo inferius declarando, & non ſua libra communi uſi ſunt, ut in numero rotundo, uidelicet drachmarum centum, talento, & ſeſtertio conueniret. Libra Attica in ſe habuit drachmas. lxxv. quæ poſtea in pondere aliarum rerum in ſuo ſtatu perſeuerauit, in pecuniis uero, ut ſine detrimento creditorum debitores ſubleuarentur, ex decreto Solonis ad centum drachmas excreuit, & Mina appellata fuit, ut Plutarchus in eius uita. Hæc quæ de talento, mina & aliis ponderibus ſuperius

Digitized by Google

dixi, ſi quis exquirere uoluerit, præter ea, quæ ſparſim apud authores reperiuntur, ordine omnia in tractatu metrico de pōderibus ī uolumine Priſciani inſerto uideri poſſunt. Pondera antiqua noſtris conferre meus labor fuit, quæ ad declarationem ſeſtertii, ut neceſſaria præmiſi. Athenienſes aliquando non ſolum diuitiis, celebritate, potentia, ſed etiam bonis artibus, diſciplinis, moribus, inſtitutis, & maxime politia, & elegantia floruere, quos Romani potentiam adepti cognoſcentes cæteris præſtare gentibus, in multis imitati ſunt, diuerſi ponderis, ut & aliæ gentes argenteum nūmum ſignauerunt, & drachmas, & tetracinos a pondere cognominatos. ſed in præcipuo uſu habuerunt nūmos pondere, & nomine drachmæ, & alios diuerſi ponderis effigie noctuæ ſignatos, qui adhuc frequentiores in ruinis, & apud authores maxime Græcos in mentione pecuniæ reperiuntur, & in præallegato tractatu fit mentio, & Plutarchus de ſignatis effigie noctuæ in uita Lyſandri, & alibi de drachmis atteſtatur. Romani rudi ære primum, ſed poſt Seruium Tullium regem ſignato uſi ſunt, ut aſſes qui primum librales teſte Plinio, loco inferius adducendo, & Gellio libro. xx. cap. primo urgente bello unciales cum nota Iani bifrontis, & roſtri nauis, & alij effigie pecudum, unde pecuniæ dictæ, ſignati fuerunt, cuius notæ, & ponderis antiquiſſimos uidi, & appendi. Argento ſignato uti cœpiſſe Romanos quinqꝫ annis ante bellum Punicum atteſtatur Plinius libro. xxxiii. cap. iii. & quia nūmus argenteus pro decem libris æris permutabatur, denarius appellatus eſt, pro quinis quinarius, ſeſtertius pro duabus libris & ſemiſſe. Sed quum poſtea aſſes unciales fieri cœperunt, placuit denarium pro aſſibus. xvi. ſeſtertium pro quatuor permutari, & ſic ſemper ſeſtertius fuit

Digitized by Google

quarta pars denarii,quem tamen (ut nomen ſignificat) in ſti
pendiis, & apud authores in mentione pecuniæ ſemper pro
decem aſſibus receptum fuiſſe Plinius loco ſuperius addu/
cto teſtatur, & Plutarchus in uita Camilli, quum ſcribit ei
pœnā indictā a Populo.XV.M.aſſium, declarat eā ſummā
M.D.drachmas conficere. Liuius eodem loco.xv.mill.gra/
uis æris fuiſſe dānatum, & Liuius in actis Seruii Tullii regis
in mentione cenſus ſcribit primam Claſſem ex iis,qui centū
millia æris,uel ſupra, cēſus haberēt,Secūdā ex iis,qui a.lxxv.
millibus uſq; ad cētum millia. Dionyſius Halicarnaſeus eo/
dem loco ſcribit primam claſſem fuiſſe ex iis,qui centū mi/
nas,uel ſupra,haberent in cēſu, Secūdam a decem drachma
rum millibus, quæ ſumma eadem eſt uſq; ad lxxv. minas.
Item Liuius libro ſexto primæ decadis ſcribit Camillo di/
ctatori per Tribunos Plebis quingentorū milliū æris mul/
ctam indictam,ſi quid pro dictatore egiſſet. Plutarchus ea/
dem ſcribēs quinq; myriadum drachmarum argenti pœnā
indictam,quæ ſumma quinquaginta millia denariorū ſigni/
ficat, quæ decies multiplicata quingēta millia æris efficiet,
& ex his,& reliquis, quæ ſequuntur apparet,quum apud au/
thores pœna uel præmium grauis æris reperitur,ſemper in/
telligi debere de aſſibus, qui.x.ſingulos denarios repræſen/
tabant, & denarios pondere drachmæ in frequentiori uſu
fuiſſe, quos ut aſſes, uariante tempore mores uario ponde/
re ſignatos, & tandem ad imitationē Atticorū in drachma
reſediſſe opinor. Denarium Romanum,ſiue Nūmum argē/
teum reperio aliquando fuiſſe pondere drachmæ adiecta
parte tertia, & ſic ſcrupulorum quatuor. Tres enim ſcrupuli
faciunt drachmā,& iſte denarius ad computationē Talenti
magni conuenit, quod erat minarum. lxxx.& librarum Ro/

Digitized by Google

manarum. lxxxiii. & unciarum.iiii. & ſic eodem modo ſex millia huiuſcemodi denarioꝝ, qui ſcrupula cõtinent quatuor, faciunt talẽtum maius, quo eorum qui Drachmæ ſint pondere, talentum minus, quod erat minarum.lx.&.lxxii. huiuſmodi denariorũ ſignabantur ex libra argẽti. & de hoc denario quatuor ſcrupulorum intelligit Liuius libro quarto decadis quartæ ꝑpe finẽ,quũ dicit ſignati argẽti. lxxxiiii. M. fuere Atticorum tetracinorum,trium fere denariorũ in ſingulis eſt põdus, cum Tetracini dicãtur a quatuor drachmis, & ſic ſcrupulorũ duodecim , & cum ſinguli tetracini eſſent ponderis trium denariorum, apparet denarios aliquando fuiſſe põderis quatuor ſcrupulorum ſcilicet drachmæ addito ſcrupulo, alium fuiſſe & frequentiorem, ex quibus multi antiquiſſimi adhuc reperiuntur, ponderis parũ ultra drachmam, adeo ꝙ in qualibet uncia drachma comminueretur, & ſic ex uncia denarii ſeptem, Et de hoc credo intellexiſſe Plinium lib.xii.capite ultimo,quum ſcribit, Drachma Attica fere denarii argentei habet pondus, ſed ita expreſſe exponit Cornelius Celſus libro quarto capite.xii.de ratione ponderum,quum dicit in uncia pondus denariorũ ſeptem, & huic computationi cõuenit authoritas Plinii,quem Hermolaus uitiatũ credidit lib. xxxiii.capite. viii.in fine, quum dicit, iuſtum eſſe ex libra argenti. lxxxiiii. denarios ſignari. quem locum Hermolaus ut uitiatum correxit,& tamen ſi recte computetur ꝙ in uncia ſit pondus denariorum ſeptem, ex duodecim unciis, & ſic ex libra potuerũt ſignari. lxxxiiii. denarii.Deniq; creſcente auaricia ad imitationem Græcoꝝ pondere drachmæ denarii ſignari ceperunt,& ii frequentiores apud authores,& in ruinis,& in theſauris paſſim reperiuntur, & talento, & minæ, & ſeſtertio magis conueniunt.

Digitized by Google

Ex quibus plurimos ātiquiſſimos, & diuerſis notis ſignatos, diuerſiſſimiſq; in regionibus repertos uidi, & appēſos omnes ponderi drachmæ conuenire deprehēdi, quod maximā feciſſe coniecturam Romanæ iuſtitiæ regi Taprobanes Plinius atteſtatur libro.vi.capite. xxii. quum in captiua pecunia denarios pari pondere, & diuerſarum imaginū reperiſſet, & ſi magnitudines, & non imagines in libris impreſſis corrupte legatur, tamen in antiquiſſimo manuſcripto imagines & non magnitudines legi, & recte, & hos fuiſſe proprie denarios, uel magis cōmunes atteſtatur Liuius libro quarto decadis quartæ, Vltra q; huius ponderis frequētiores adhuc reperiūtur, & inferius authoritate aliorum comprobabitur, quū ſcribit Achæos a Flaminio admonitos, redemiſſe ſeruos Itali generis per totā Achaiam, eāq; redemptionē centum talētis ſtetiſſe Achæis, quum quingentos denarios pretium quod redderet̃ dominis pro ſingulis ſeruis ſtatuiſſent, mille enim & ducentos ea ratione Achaia habuit. Quod ſi recte computetur, cōſtabit talētum.lx.minarum, & ſic Atticum ſex millia denariorum continere. Idem Liuius ſi cū Plutarcho conferat̃, comprobabit denarios, & drachmas eiuſdem æſtimationis fuiſſe, cum alter ipſorum drachmas, alter totidē bigatos Badio Nolano a Marcello donatos referāt, & Appianus libro tertio ſcribit Octauiū quingentas drachmas ueteranis, quos ex municipiis collegerat, promiſiſſe. Cicero idem exprimens totidē denarios dediſſe ſcribit in epiſtola ſexta libro ſextodecimo ad Atticū, & in alia ad Quintum fratrem, & in aliis locis clare cōſtat. idem Plinius ſi recte, & non deprauate legatur, atteſtatur lib.xii.cap.xv. quum exprimit tertiam partem minæ denariorum. xxxiii. habere pōdus (ut in codice manuſcripto legitur) quanuis. xxxviiii.

corrupte legatur in impreſſis, ex tribus his generibus dena-
riorum primum in aliud nomẽ tranſiſſe, uel in deſuetudinẽ
abiiſſe reor, Ex duobus ſequentibus aut utrũq; in tertio mu-
tatum, aut retenta æſtimatione pondus imminutum, & in
totum drachmæ adęquatũ, ut talẽto & ſeſtertio examuſſim
conueniret. & ſi aliqui maioris, aut minoris ponderis nũmi
antiqui argentei reperiuntur, non denarii, ſed extraordinarii
exiſtimandi ſunt, ut etiam noſtro æuo ſignari ſcimus. De ſe-
ſtertio multum inter doctos hæſitatum, pauci nomen, nulli
(q; ſciam) adhuc ſignificationem intellexerunt. & Hermo-
laus noſtræ ætatis literaturæ ſolertiſſimus ĩdagator, pro in-
comperto ſibi, uel aliis aliquando diſcutiendum reliquit.
quod tandem illi, & multis aliis doctiſſimis uiris, qui hoc
ignorarunt, doctrina & ingenio longe impar excuſſi, & du-
plex eſſe Seſtertium obſeruaui, maius, & minus, quid inter
ſe differãt, declarabitur. Sed qua alterum ab altero uel nota,
uel adiectione apud authores dignoſcatur, nondũ mihi ple
ne ſatiſfacio, quia codices Synonimo corrupti non bene
poſſunt obſeruari, cum eodem nomine, & uocabulo res di
uerſiſſima exiſtimatione reperiatur, quo nunc legentes, &
forte olim ſcribentes hallucinati ſunt. Sed cum ſeſtertium
neutro, & uirili genere, & cũ adiectione nũmi, & ſine, apud
authores inuenerim, ualde opinor (ſi libri eſſent ſynceri) hac
differentia dignoſci poſſe, q; uirili genere, & cum adiectio-
ne nũmi de minore, & ſic æris, qui (ut infra declarabitur)
erat quarta pars denarii, ut ſeſtertius nũmus, neutro autem
& ſimpliciter poſitum, ut ſeſtertium de maiore, & argenti
intelligi debere. Et hoc differẽtia poteſt elici, ut alia omit
tam, ex uerbis Gellii qui libro.ii.cap.xxiiii. dicit ſeſtertios
tercentos in cœnam inſumere ius eſſe, & intelligitur tunc

Digitized by Google

de minoribus, & Tranquilli qui ſcribit. C. Cæſarē ſeſtertios CCC. legaſſe uiritim, & de minoribus cōſtat intellexiſſe ex ſumma, quæ nimia eſſet, ſi tot Seſtertia Po. Ro. uiritim legaſſet, & authoritate Plutarchi in uitis Antonii, & Bruti, dū facit mētionem de eodemmet Legato Cæſ. & .lxxv. drachmas unicuiq; ciui Romano legaſſe dicit, & clarum ſit .lxxv. drachmas, & ſic denarios. CCC. ſeſtertios repræſentare, cū ſeſtertius ſit quarta pars denarii. & Cornelius Tacitus libro xvii. ſcribit poſt ſeditionem militarē, qua milites in triclinium irruperunt, Othonem quina millia nummum ſingulis donaſſe. Plutarchus in uita Othonis eadem ſcribens, M. CC. & quinquaginta denarios dediſſe, quæ eſt quarta pars quinq; millium, & Varro de lingua latina declarando ſeſtertium maſculino genere ponit. Quibus exemplis, & aliis inferius in maiore dicendis & multipliciter adduci poſſent; ſatis apparet Seſtertium æris fere ſemper uirili genere & cū adiectione, uel nuda appellatione nūmi, argenti uero neutro, & ſimpliciter poſitum reperiri apud authores. Sed quia aliquando confuſa reperiuntur, credo uitio ſcriptorum, adhuc nolo affirmare ſuperius adducta, ne uitia librorum mihi pro inſcitia imputentur, ſed ſatis ſit admonere, cū inter ſe tantum differant, ex pretio facillima coniectura cognoſci poſſe de quo ſeſtertio authores ītelligere uoluerint. Succurrebat etiam antiquos figuræ Seſtertii aliquā notam fortaſſe addere conſueuiſſe, qua maiora a minoribus ſeſtertiis diſtinguerent. Quæ poſtea quum per inſcitiam apponi deſiiſſet, inde obortam confuſionem, & hæc ſædet ſententia. Seſtertius igitur ut a minori incipiam, teſte Plinio libro xxxiii. cap. iii. & Varrone libro quo ſupra, & aliis, dictus quaſi ſemitertius, uidelicet q; ſemis tertio loco, uel tertiæ libræ

Digitized by Google

poſt duas poneretur, & hoc nomine intelligebatur pondus duarum librarum adiecta ſemi, & ideo hac figura IIi ſcribebatur, uel hac IIs; ut ea intelligeretur duas libras integras fuiſſe adiecta ſemi, & ſic pro quarta parte denarii, cum primum denarius argenteus pro decem aſſibus æris permutaretur. & de hoc intellexit Varro de re ruſtica lib. iii. cap. ii. dum ſcribit quinq; millia turdorum ueniſſe denariis ternis, ut Sexaginta millia ea pars reddiderit, & intelligit de Seſtertiis, ut conſtat ex ſequentibus, & in libris ſcriptis apparet figura IIi. Cum uero quinq; millia turdorum ternis denariis ſinguli uenierint, & tota ſumma eſſet denariorum quindecim millium, ſequit̃ q̃ hæc ſumma quater multiplicata ſexaginta millia redderet. Item de hoc manifeſte intelligit Cicero in Verrina quarta in oppoſitione frumenti æſtimati, ubi apparet ternos denarios ſeſtertios. xii. ualuiſſe, & ſic Seſtertium fuiſſe quartam partem denarii, & in legato Cæſ. ſuperius adducto, & aliis præmiſſis. Itẽ ex locis collatis Plutarchi in prĩcipio uitæ Gracchoꝵ & Plinii lib. xxxiii. cap. xi. Dum utrobiq; fit mentio diuerſis nominibus de æſtimatione delphinorum aureorum, & in uita Syllæ ĩ principio ſcribens mille nũmos drachmas. CC. & quinquaginta ualuiſſe; & ex Lampridio in uita Seueri, quum ſcribit milites dena millia popoſciſſe, exemplo eorum, qui olim Auguſtum Romam deduxiſſent. & Appianus libro. iii. ſcribit duo millia & quingentas drachmas illos recepiſſe. Et Plinius lib. xxxiii. cap. iii. manifeſte dicit, adeo q̃ non indiget diſquiſitione; ex quibus ſatis conſtat Seſtertium nũmum, fuiſſe quartam partem denarii, & drachmam denario conueniſſe, ſed difficultas fuit in maiori Seſtertio, quod a nemine authorum declaratum ex diuerſis fuit neceſſe elicere, & excuſſi tandem

Digitized by Google

ad exemplum illius minoris maius fuiſſe repertum, & ſicut illo duas libras & ſemis æris, ita maiore tantundem argenti,uidelicet duas minas & ſemis, & ſic ducentas & quinquaginta drachmas,uel denarios repræſentari.Et ſi forte cui dubium faceret, ꝙ duæ libræ Romanæ, & ſemis ducentas, & quadraginta, & non quinquaginta drachmas efficiant,quæ ad Seſtertium maius, ut infra dicetur,requiruntur,ut hoc diſcutiam,obiter declarabitur, quid uelint ſignificare authores,& maxime Liuius, quum dicit pōdo mille,& reliqua,in quo multos uidi hæſitare. Sciant igitur, qui hoc ignorant, Romanos in plurimis, & maxime in hac parte Atticos imitatos, ſicut illi ĩ commercio omnium aliarum rerum ſua libra.lxxv. drachmarũ in argento uero mina, ita ipſos in aliis rebus communi libra.xcvi. drachmarum in mentione pecuniæ fere pōdo indeclinabili uſos fuiſſe,quo cẽtũ drachmas ad exemplum minæ repræſentari ſignificabant, & ideo in Seſtertio non libra, ſed pondo intelligi debere, & ſic.cc.& quinquaginta denarios. quod ex multis & maxime authoritate Plutarchi & Liuii, ſi loci conferantur, comprobabitur, in quibus de eadem re loquuntur. Liuius dicit Fabiũ pōdo bina, & ſelibrã pro recuperãdis captiuis. Plutarchus in eius uita ducentas, & quinquaginta drachmas, & ſic Seſtertium perſoluiſſe, uidelicet duas minas, & ſemis,& ſic ducentas & quinquaginta drachmas,uel denarios. Et clarius demonſtratur authoritate Pompo. Iuriſconſulti in titulo de auro & argento legato in.L. quæ incipit. Scribit Quintus Mutius. His præmiſſis, ꝙ Seſtertium maius & ſic argenti, ducentos & quinquaginta denarios in ſe haberet, ex inferius dicendis clare conſtabit, & primo ex ætymologia uocabuli,ut ſuperius declaratum fuit.ſ.ꝙ in ſe habeat duas libras & ſemis ar-

Digitized by Google

genti, ut minor æris, & authoritate Auli Gellii libro.v.noctium Atticarum cap.ii. quum ſcribit equum Bucephalum emptum.xiii.talentis, & computando dicit.xiii.talenta æris noſtri.ſumma eſt Seſtertia.ccc.&.xii.quæ ſi recte cõputẽtur ex his,quæ ſuperius dixi,cõſtabit ſingula ſeſtertia.cc.& quinquaginta denarios in ſe habere,quæ trecenties,& duodecies multiplicata.lxxviii.millia reddent. Quæ ſumma.xiii.talẽta repræſentabit tribuẽdo ſingulis talentis ſex millia denariorum,ut ſuperius authoritate Liuii de talento demonſtratum fuit. Confirmatur Plutarchi authoritate in uita Fabii,quum ſcribit Fabiũ dictatorẽ uouiſſe.ccc.xxxiii.Seſtertia,totidẽq; denarios addita tertia parte unius.ſ.denarii pro muſicis ſpectaculis faciẽdis.& poſtea addit,hoc caput eſt octo Myriades drachmarum,& drachmæ.iii.mille quingentæ octoginta tres,& oboli duo. Quæ ſumma ſi Seſtertium pro ducentis & quinquaginta drachmis, & ſic denariis,accepta fuerit, computatio Seſtertiorum,ſummæ denariorũ uſq; ad obolos conueniet. & ex his locus Liuii in hoc corruptus corrigi poteſt.Idem alio in loco oſtẽdit Plutarchus in uita Marci Antonii in principio, quum exemplum eius liberalitatis exponens ſcribit cuidam ex amicis dari iuſſerat duo millia & quingenta, Quod Romani decies Seſtertiũ uocant, quæ computatio. ccl. denariis pro ſingulo Seſtertio reſpondet. Ad hoc probãdum accedit locus Trãquilli in uita Cæſ.ubi loquitur de præmiis ueteranis militibus promiſſis, & bina ſeſtertia, quæ in initio ciuilis tumultus promiſerat, & reliqua. Appianus libro.ii.ſcribens de ſeditione Placentina dicit quinas dediſſe minas in initio belli ciuilis promiſſas. Ex quibus apparet eandem ſummam promiſiſſe diuerſis nominibus poſitam apud diuerſos authores, & Seſtertia ſingula

Digitized by Google

CC.et quinquaginta denarios ualuiſſe, uidelicet duas minas & ſemis. Prædicta comprobauit computatio Seſtertiorum traditorum Scaleno ad corrumpēdum iudicium in oratione Cluentiana, & clarius in epiſtola Ciceronis .xiiii. libro quarto ad Atticum, quum ſcribit candidatos Seſtertia quingena apud Catonem depoſuiſſe. Plutarchus in uita Catonis ſcribit.xii. millia, & ſemis drachmarum, quæ ſumma ſi in quinquaginta partes diuidat̃.cc.& q̄nquaginta drachmæ in una quaq; parte reperientur, & ſic xii.millia, & quingentæ drachmæ quingena Seſtertia efficient. Ex quibus declaratur locus Iuuenalis nō bene intellectus, qui in ſatyra quarta hoc confirmat, quum dicit, Mullum ſex millibus emit, æquantem ſane paribus Seſtertia libris. quia quum dicit ſex millibus, intelligit de ſeſtertio minore.ſ.æris, & de quarta parte denarii.cum poſtea dicit, Aequātem ſane paribus Seſtertia libris, intelligit de maiore,& ſic argenti, uidelicet ꝙ mulus tot libris penderet, quot ſeſtertiis maioribus emptus eſſet,quia ſex Seſtertia maiora mille & quingentos denarios reddunt,qui quater multiplicati ſex millia Seſtertiorum minorum repræſentabunt. Ex his uerſibus Iuuenalis opinio aliquorum omnino confunditur putantium unicum tantum Seſtertium reperiri, ſed cum adiectione numeri mille ſemper debere ſcribi, & intelligi, quia nullibi reperitur mulum ſex millibus libris pepēdiſſe, & pro miraculo Plinius refert, unum octo librarum Claudio donatū, qui forte idē fuit, de quo Iuuenalis mentionem fecit, quia illa additio numeri mille, nec in hoc loco, nec in alio,ubi reperitur Seſtertium carmini inſertum,poteſt conuenire,& in aliis locis ſatis conſtat fuiſſe duplex. Accedit ad comprobationem Seſtertii computatio pulcherrima Ciceronis in Actione tertia in

Digitized by Google

Verrem prope finem, quum ex libellis publicanorum cona tur detegere Verris furta. quæ cum mihi naturam huius ad-uerbii duodecies præcipue demonſtrauerit, quid de illius, & aliorum ſimilium ſignificatione ut decies, uicies, & reli-quorũ haſtenus obſeruauerim, hinc ſumpta occaſione, obi-ter anteq̃ ad computationem deueniã, proferre libet. quæ aliquãdo ſuum tantum numerum referre, multoties per cen tum millia multiplicari apud authores reperi. & cum eiuſ-dem uocis & ſynonima legantur, qua ratione, uel nota tan-tum differant, adhuc mihi non bene fuiſſe compertum inge nue non inficior. Sed cum ingenui ſit, ſi quid boni perficere non poſſumus, ſaltem uoluiſſe præſeferre, ſatis erit mihi ho mini negotioſiſſimo, & alia profeſſione diſtracto, alteri cui otium, & ingeniũ magis ſuppetat, occaſionẽ præſtare perfi ciẽdi, quod inchoaui. Prima differentiæ obſeruatio fuit, ꝙ in pluribus locis inueni huiuſcemodi aduerbia, cum ad multiplicationem alterius numeri appoſita fuerint, ſuum tantum numerum referre, ut decies centena, decies millena, quum uero ad deſignandam alterius rei quantitatem per ſe reperiuntur, per centum millia multiplicari, ut decies ſeſter tium, decies talentum. De utraq; ſignificatione multa ſunt exempla apud authores, ea tamen ſolũ adducam, quæ com putationibus deprehenſa negari non poſſunt. De prima, multa in Arithmetica Martiani Capellæ in pluribus locis, & maxime infraſcriptis, in cap. de Hexade in fine, ubi cõpu tatur ꝙ duodecies ſeptuagena bina. Dccclxiiii. reddãt. Item de pari, & impari in fine. Et capite ſequẽti in fine. Itẽ de per ſe compoſitis, & in aliis computationibus ſequentibus, & ne ſolus Martianus ſit author, Macrobius accedat in com-mẽtario de ſomnio Scipionis, in computatione annoꝝ eius

uitæ, ibi per ſepties octies Solis anfractus, quam ſummam Macrobius ſcribit quinquagintaſex referre, & ſic octies, & ſepties ſuum tantum numerum referunt. Et ſupra ubi dicit, ꝙ decies ſeptem, uel ſepties decem reddunt ſeptuaginta. Item ex Plinio multa poſſunt adduci, ut in lib.xiiii.cap.iiii. ad finem, loquendo de uinis ibi, Maronæum uities tantum addito aquæ miſcendum. Item libro.xxxi.cap.ii.ubi duodecies in ſimplici ſignificatione. Item eodem libro cap.v.ubi quinquies, & in Varrone de re ruſtica cap.lxiiii.loquẽdo de amurca, & in Columella in pluribus locis, & maxime in demenſione agrorum. De alia item ſignificatione etiam plura poſſent adduci ex Tranquillo, Cornelio Tacito, & Plinio, & aliis authoribus obſeruata, ſed Cicero mihi ſufficiat in Philippica ſecũda, & in loco ſuperius adducto, in quo computatio nullam dubitationem reliquit, duodecies per centum millia multiplicari debere. Sed quia differentia de qua ſupra, non bene comprobari uidetur, cogitatio ad aliã tranſcendit, quod fortaſſe apud antiquos hæc aduerbia non eadem uoce, ſicut noſtro ſæculo proferebãtur, ſed quum per centum millia multiplicari deberet, non decies, duodecies, millies, ſed deciens, duodeciens, milliens ĩterpoſita litera, n, proferebantur, quæ poſtea forte per inſcitiam deſiit interponi, ut in pluribus dictionibus antiquis contingit ĩmutari. Exempla habeo huiuſmodi dictionũ, ſi codices ſunt ſynceri, in Varrone de Analogia, ubi tractat de numeris, ibi legitur, hoc deciens, huius deciens. Si corrupte, uel aliud intendens, iudicium ſit penes legentes. Item in Aſconio pediano in expoſitione ſecundæ actionis in Verrem, ubi excuſat Ciceronem, ꝙ in diuinatione dixerat Verrem millies ſeſtertiũ expilaſſe. in actione uero quadragies, ibi legitur milliens,

& non millies.utrum uero recte, aut corrupte non cõtendo. Hæc uolui dixiſſe, ut omnia quæ in hac materia haƈtenus obſeruauerã, proferrem. illud magis opinor, apud antiquos hæc aduerbia aliqua nota, ſeu figura addita diſcreta fuiſſe, qua ſimplicia a multiplicatiuis iſtius generis dignoſcebantur. quæ quum poſtea, ut in multis aliis, per inſcitiam apponi deſierit, nobis inde confuſionẽ, & ignorãtiam irrepſiſſe, ut potius conieƈtura q̃ ratione cognoſcantur, ſed iam ſatis ſuperq; mihi de aduerbio duodecies. Ad Seſtertiũ, & computationẽ Ciceronis reuertar, qui in loco ſuperius adduƈto intendens ex libellis publicanorum detegere Verris furta, ſcribit in eis deprehendiſſe ex uiceſima portorii rerũ nomine Verris exportatarum, publicanos Seſtertia.lx.perdidiſſe, & de maioribus intelligendum, & inferius ex portorio argumentando, infert res ipſas exportatas duodecies Seſtertium ualuiſſe, & intelligendum de minoribus. ſi illud duodecies ſuum tantum numerum referret, argumẽtum non procederet, nam abſurdiſſimum eſſet plus fuiſſe ueƈtigal, q̃ mercaturam. ſi per centũ millia multiplicetur, ex comparatione fortiſſimum elicitur, & Seſtertium comprobatur. Nam Seſtertia.lx.argenti computando ſingulis.cc.& quinquaginta denarios.xv.millia reddent. Quæ ſumma fuit portorii, ſeu ueƈtigalis rerum exportatarum, qui uicies multiplicati trecenta millia efficiẽt. Ex his, quæ dixi, clarum eſt Seſtertiũ æris, & ſic minorem eſſe quartam partẽ denarii, hac ratione.ccc. millia denariorum quater multiplicata duodecies centena millia ſeſtertiorum efficient. Volens igitur Cicero ex ueƈtigali pretium rerum nomine Verris exportatarum, quas omnes prouincialibus extortas uult intelligi arguere, ſcribit ſummam portorii ex uiceſima æſtimationis.lx.Seſtertia,

Digitized by Google

& ſic denarios.xv.millia fuiſſe pretium rerum uicies multi/plicatum. ccc. millia denariorum, & ſic duodecies centena millia ſeſtertiorum minorum. Quæ ſumma ad noſtras pecunias relata (ut clarius demonſtretur) intelligi debet pretium uectigalis fuiſſe noſtrorum aureorum mille, & quingentoꝝ, rerum uicies pluris æſtimatarum triginta millia, & tantam ſummã expilaſſe Verrem Cicero ex præſuppoſitis conatur arguere, & ſic locus erit clarus, & Seſtertium comprobabi/tur. Ex hiſq; multi alii corruptiſſimi in illis actionibus ali/quando corrigentur, quos nunc nolui pertentare, quia ſum/mæ ſimpliciter poſitæ non poſſunt cum aliis computando deprehẽdi, & ĩ hoc loco addatur locus Gellii, qui multipliciter huic meæ commentationi ſuffragatur, qui alio in loco & talentũ, & denarium, & utrunq; ſeſtertium obiter decla/rat libro quarto cap.xvii.ſcribẽs Ariſtotelem libros Speu/ſippi philoſophi tribus talẽtis emiſſe, & declarat eam ſum/mam eſſe nũmi noſtri, duo & ſeptuaginta millia. Huic cõm putationi omnia, quæ ſuperius dixi, cõueniunt, uidelicet talentum Atticum eſſe. lx. librarum, & ſex millia denariorum, & ſic tria talenta decẽ & octo millia denariorũ conficient. Quæ ſumma quater multiplicata. lxxii. millia nummum ſe/ſtertiorum minorum, eadem in. lxxii. partes diuiſa, quæli/bet pars. cc. &. l. in ſe habebit, & ſic totidem Seſtertia maio/ra efficiẽt, & quum ſcribit Platonem decem millibus dena/riorum libros Philolai mercatum, eos cum drachmis cõuenire atteſtatur, cũ alibi reperiatur illos cẽtum minis emiſſe, quæ decẽ millia drachmaꝝ cõficiunt. His ſatis puto Seſter/tium demonſtraſſe, & quicquid ſuper addatur potius faſti/dio, q̃ꝫ cõprobationi acceſſurum. non inficior tamen nõnulla, quæ huic meæ commẽtationi non cõueniunt, apud au/

Digitized by Google

thores reperiri poſſe, eaq; corrupta non diſcrepantia audeo affirmare, cum numeri in diſtantiis locorum, & in pretiis rerum, & in qualibet parte penes authores poſiti corruptiſſimi reperiantur, qui uel ex his, quæ ſuperius dixi, uel ex coniectura ex pretijs rerum ſubducta facile poterunt emendari. Nonnulla tamen, quæ magis diſcrepare uidentur, apponere uolui, ne uel inſcitia præteriiſſe, uel diſſimulando omiſiſſe uidear, quæ & ipſa eſſe corrupta, & authoritate eorum, quæ ſuperius adduxi, & etymologia Seſtertij cõprobari poteſt. Ea tamen ne potius ĩmutare, q̃ corrigere codices dicar, aliter non attingam, ſatis ſit admonere, quæ nunc occurrũt. locos apponam in Pliniis impreſſis, ut inferius legitur libro xxxv. cap. x. circa medium, Talentũ Atticũ, ut ait Varro. xvi. Seſtertijs taxatur. Hæc a meo Seſtertio diſcrepant, & ſi liber Varronis extaret, uel hic conſtaret, tota mea ratio deſtrueretur, quia ex præſuppoſitis talentũ Atticum non. xvi. ſed. xxiiii. ſeſtertiis taxatur. Sed Varro in hoc deficit, & locum Plinii eſſe corruptum, præterq̃ ꝙ ratione, & authoritate conuinci poteſt, accidit ingens argumẽtum, ꝙ codicem manuſcriptum, & antiquiſſimum uidi, multum in hoc loco diſſimilem, & non multum a recto ſenſu diſcrepans apparet, ut infra. Talentum autem Atticum. M. Sex. taxat Marcus Varro. eodem libro multis in locis obſeruaui eadem quaſi figura libras, & ſeſtertia ſcribi, ut inferius manifeſto exemplo tabulæ Ariſtidis demonſtrabitur, & ſi ſex in. lx. corrigatur, ſenſus conſtabit, quia uere talentum Atticum ſexaginta libris taxatur, eadem ratione poteſt intelligi, & corrigi locus Gellii, qui libro primo cap. viii. ſcribit Laidẽ pro mercede cõcubitus decẽ millia denarioꝝ popoſciſſe, & Demoſthenẽ dixiſſe, Non emo tanti poenitere, & exponẽdo decẽ

millia denariorum ſcribit, ideſt ſeſtertiis centũ. Macrobius libro ſecundo Saturnalium in dicteriis ſcribit, Semitalentũ Laidem petiiſſe, quod eſt tria millia denariorum, ſed nec talẽtum, nec ſemitalentum, nec decem millia denariorum centum Seſtertiis conueniunt, quæ mea computatione .xxv. millia, & non decem millia denariorum conficient. Quæ ſi quid ambiguitatis meo Seſtertio afferunt, ut alia ſuperius adducta omittam, authoritate eiuſdem authoris, quem eodem uolumine ſibi contrarium fuiſſe nõ eſt ueriſimile, confirmatur, & ut alia Seſtertia non congruentia, ita & hunc locum uitio ſcriptorum uitiatũ opinor, erroremq; ut in Plinio ex figura notæ proceſſiſſe, q̃a in libris manuſcriptis hac nota IIS Seſtertium, & libras ſignificari ĩuenio, Videlicet pro duo. II. & .s. duas libras, & ſemis, quod eſt Seſtertium, & eadẽ pene figura libras ſimpliciter ĩtelligi, qua figura librariũ deceptũ, quũ libras locus ſignificaret, extẽſo charactere (& ſi credam, ſi codices eſſent ſynceri, inter ſe differre) Seſtertia tranſcripſiſſe opinor, quæ eadem pene figura, & nota aliquando ſcripta reperiantur. Et ſi libris, & non Seſtertiis legas, ſenſus conſtabit, quia ex ſupraſcriptis oſtenſum fuit pro Myriade drachmarum, ſeu denariorum centum libras, ſeu minas argenti intelligi. & ideo recte poſſumus opinari hũc ſenſum authoris fuiſſe, & hoc errore multos libros deprauatos reperiri, cum Seſtertia pro libris, & e conuerſo tranſcripta fuerint, ex quibus ſufficiet hic unum ex multis exemplum ponere, ut prædicta comprobentur, & locus Plinii obiter corrigatur. ſcribit enim libro .vii. cap .xxxviii. & libro. xxxv. cap. x. unam tabulam Ariſtidis Thebani pictoris Atalum regem centum talentis licitatũ. Eandem libro eodem xxxv. cap. iiii. ſcribit ſub haſta ab eodẽ emptã, ſed reuocatã

ſex millibus Seſtertium. Si ſeſtertium, ſeu ſeſtertiorum ad-mittimus, Plinius ſibi contrarius reperiet, quia nullomodo ſexmillia Seſtertiorum, ſiue ærea, ſiue argentea, ſeu cujuſcunque cognitæ ſummæ, cẽtum talẽtis poſſunt conuenire. Et ideo quaſi eſt neceſſe cõfiteri errore figuræ conſimilis pro libris Seſtertia tranſcripta, quæ ſex millia numero & æſtimatione examuſſim, & ad aſſem centum talentis reſpondent, & obiter ex his arguitur, & quaſi demonſtratur antiquos (ſicut & Venetos noſtro æuo) pro libris ſummam.x.aureorum uſurpaſſe (ut inferius in nũmo aureo declarabitur) quod etiam aliis in locis uidetur Plinius comprobare, libro.xiii.cap.xv. ſcribit menſas citreas libris.xiii.&.xiiii. emptas. Item libro xxxv.cap.vi. de creta Cymolia ſcribẽs pretium ei in pondo ſex librarum, quæ uel Seſtertia, uel libras quilibet ex ſenſu ſuo opinetur. Satis fuit demonſtrare inuicem ſæpius trãſcripta fuiſſe, & loci ſupraſcripti Plinii, & Gellii potius corrupti quam contrarii meo Seſtertio exiſtimẽtur, nec uideatur abſurdum libras aliquando pro pondo, uel mina ſumptas, cũ uocabula rerum tam paruo diſcrepantium, ſcilicet quatuor drachmis tempore facillime corrumpi potuerunt. Aliũ locum multũ diſcrepãtem inueni in Lampridio in uita Helii Gabali, quum narrãdo eius luxum ſcribit eum nunquam minus centũ cœnaſſe Seſteriis, & declarando dicit, hoc eſt argenti libris triginta, quę nullo modo Seſtertiis cõueniũt, quæ.cc. & quinquaginta libras repræſentabũt, qui locus ſi pro libris argenti, auri legas, nõ multũ a meo Seſtertio diſtabit, computatione auri ad argentum inferius apponenda. Si tamen uel aliquid Seſtertiis addas, uel ex ſumma auri detrahas, ſcilicet ratione Liuiana, uel Seſtertiis.xx. addas, uel libris auri quinque detrahas, uel alia ratione aliquid minus. Hæc quæ ma-

Digitized by Google

gis offendebant apponere uolui (ut ſi quæ alia, quæ nõ ob/ ſeruaram reperiantur, corrupta (ut hæc) & non diſcrepantia exiſtimentur, cum in nulla parte authores corruptiores ſint, q̃ in numeris, & ponderibus, & diſtãtiis locoꝝ, ut prædixi.

Nummi aurei ratio difficilior, & quaſi incomprehenſi/ bilis uidetᷣ, quia pondus, & pretium multipliciter uariauit, ut etiam temporibus noſtris continue fieri uidemus, & ut re liquas nationes omittam, quibus aurum non modo ſæcu/ lis, ſed quaſi nundinis diuerſimode æſtimatur, Venetiis, ubi res nũmaria, & ſtabilius, & fidelius tractatur, apud auos & proauos noſtros nummus aureus quinq; libris paruorum taxabatur, temporibus uero patrum noſtroꝝ ad uigintiocto groſſos multiplicãdo uſq; ad ſex libras creuiſſe cõſtat. Aeta te uero noſtra groſſum additũ, & continue pretiũ auri mul/ tiplicare ſcimus. De pondere etiam non ſatis eſt, ꝙ aliquid quotidie ſubtrahatᷣ, ſed (quod peius eſt) materia adulteratᷣ, adeo ſemper uiguit, & uiget illa tantum a ſapientibus dam/ nata Auri ſacra fames, quam uel parem, uel maiorem fuiſſe apud antiquos, & exemplis, & authoritate ſatis conſtat. & ut alia omittam, quæ pretium auri uariaſſe, & nummum au/ reum diuerſa ratione æſtimatum fuiſſe demonſtrant, Sueto nius in uita Cæſaris dictatoris cap. de eius rapacitate ſcribit Cæſarem aurum tribus millibus nummum in libras permu taſſe, quod ratione Liuiana inferius ponenda, qua aurum ar gento decuplo ualuiſſe oſtenditur, nummis tribus millibus octingẽtis, & quadraginta æſtimatum in libras dici poteſt, & ſic quaſi in quarta parte pluris (niſi error ſit ĩ libro) & alia computatione plus. ſed qualecunq; pretium fuerit, ex eo ſa tis conſtat ratione copiæ, & defectus, aurũ minoris, & plu/ ris æſtimatum, ut etiam temporibus noſtris fieri ſcimus, ta/

Digitized by Google

men in re tam dubia,& incerta,& mihi nunc aliud agenti,& occaſione Seſtertii obiter aſſumpta, quod potui tumultuaria commentatione exquirere, Seſtertio apponam,& maxime cũ ea,quæ dicturus ſum,de hac materia,pecuniis,& cõmertio noſtri temporis ſatis conueniant. Nũmum aureũ igitur teſte Plinio in illo loco communi, ubi præcipue ſcribit de pecuniis libro.xxxiii. cap. iii. poſt annum. lxii. ſignatum fuiſſe,q̃ argentum, & ſcrupulum ualuiſſe Seſtertiis uicenis,& reliqua, quæ ſequuntur. Quem locum puto corruptiſſimum, & ſi ſyncerus eſt,ingenue fateor me non intelligere. Et Hermolaus aliqua in eodẽ capite correxit, & hanc partem, utpote de Seſtertio ſibi incognito omiſit, & cum locus iſte ſit præcipuus in iſta materia, in eo laborandũ operæpretium eſt, & ſi rectum ſenſum elicere non poterimus, ſaltem alteri occaſionẽ præſtare iuuat, uel rectius corrigendi,uel melius intelligendi.Scribit igitur Plinius Scrupulum auri Seſtertiis uicenis ualuiſſe, ſi de maioribus uolumus intelligere,ex his,quæ diximus impoſſibile eſt, ꝗ cõueniat,ſi de minoribus, non multum a uera diſcrepat ratione.Sed adhuc exemplum non inueni,ꝗ Scrupulus auri Seſtertiis uicenis,& ſic denariis argenteis quinis, & ſic quindecuplo pluris argento ualeret, cum ratione Liuiana parum ultra tres Denarios, Pliniana inferius ponenda quatuor ualeret. ſed quouſq; aliquid melius occurrat, dicere poſſumus,uel numerũ eſſe corruptũ, uel pretium auri, quod uarium ſemper fuiſſe diximus,ad id excreuiſſe. Sequentia uero,aut non intelligo, aut corrupta ſunt, quum ſcribit, quod efficit in libras ratione Seſtertii, qui tunc erat, Seſtertios nongentos, quia ſi uicies ſcrupula unius libræ,quæ ſunt ducẽti,& octogintaocto multiplicentur, nimis ſummam nongentoꝝ excedent. Ideo

cum nec melior correctio, uel intellectus occurrat, cogitabã illos Seſtertios nongẽtos in denarios corrigere, ut inferiora conueniant. Scribit enim iuſtũ eſſe quadraginta quinq; nummos ſignari ex libra (& ſi quadragintaquĩq; millia corrupte legatur, ut inferius apparebit) & ſic fere pondere duarum drachmarum, qui ſi decies multiplicentur, ratione Liuiana nongentos denarios argẽteos efficiẽt, qui põdere drachmæ ſignabantur, ſi quadragintaocto nummos aureos ex libra ſignari accipias (ut frequentiores antiqui adhuc reperiuntur) ſexaginta ad nongentos adiicies, ſed ſequentia abſurdiora ſunt, cum. xl. millia, ſeu. xlv. millia ex libris ſignari iuſtum eſſe ſcribat. Quæ quanto a recto ſenſu magis abhorrent, tanto ſecurius corrigi poſſunt, & abſq; hæſitatione firmari, numerũ mille errore, & inſcitia ſcriptoris, ſeu impreſſoris eſſe appoſitum, & ex forma ſcribendi, ut multa alia proceſſiſſe opinor, quia in codice antiquo manuſcripto (ut ĩferius ſcriptum inueni) xlv. M. Quem numerum impreſſores, cum tria ſignificaret, per errorem millia impreſſerunt, & pro quadragintaocto, quadragintaquinq; millia tranſcripſerunt, & ꝙ ita corrigi debeat ad id, quod ſumma. xlv. millia ſit exceſſiua, & ſit impoſſibile, ꝙ tot ex libra ſignarentur, accedit ingens argumẽtum, & quaſi demonſtratio, quod nummi aurei antiqui frequẽtiores adhuc pondere fere duarum drachmarum reperiuntur, uidelicet trigintaſex charatorum, uel parum infra, uel ultra, qui quadragintaocto (ut Plinius recte ſcripſit) etiam nunc libram noſtrã implent, & nonagintaſex ex noſtris, qui fere dimidio eorũ pondere ſignant. ſ. drachmæ dempto charato. Quapropter in hac parte audacter codicem corrigerem, ut pro. xlv, millia. xlviii. dempto numero mille ſcriberẽtur. Hæc pro diſquiſitione loci in hac ma/

Digitized by Google

teria præcipui uolui dixiſſe, ſiquid melius reperietur, magis profecto iuuabit diſcere, q̄ꝫ docere. Scrupulū igitur auri ſi locus Plinii in hoc loco conſtat (quod non credo) denariis argenteis quinis ualebat, & ſic quindecuplo pluris argento. Alio in loco idem Plinius, & opinor rectius libro.xviiii. cap. primo demōſtrat quaternis ualuiſſe, ſcribens Scrupula biſſini quaternis denariis permutata ut auri, & ſic ſcrupulum auri quaternis denariis permutatum oſtendit, quod magis rationi, & communi uſui conuenit, & alia authoritate comprobatur. Suetonius in uita Othonis, & Plutarchus in uita Galbæ ſcribunt, Othonem quoties cum Galba cœnaret aureos ſingulos uiritim ſpiculatoribus diuiſiſſe. Cornelius Tacitus faciendo de eadem corruptione mētionem ſcribit centenos nummos diuiſiſſe, & ſic denarios.xxv. & cum nūmi aurei illorum temporum, ut ſuperius dixi, pondere duarum drachmarum ſignarentur, & ſic ſcrupulorum ſex, quæ quater multiplicati. xxiiii. efficiunt, manifeſte apparet hanc computationē a ratione Pliniana, denario ſolo in quolibet aureo diſſentire, qui cum pars minima ſit ad ſummam, potuit uel ratiōe impreſſionis, uel pretii uariātis, uel alia nobis incognita excreuiſſe, & in hac ſumma talium ſcriptorum authoritate confirmatus, temporibus illis aurum argento conueniſſe opinor. Quod ſuperioribus temporibus minoris (ut credi par eſt) ex copia fuiſſe æſtimatum inueni. Quæ æſtimatio cōmertio, uſui, & pecuniis noſtri temporis ſatis conuenit, Liuius libro. viii. quartæ Decadis ſcribit in conditionibus pacis Aetolis conceſſum fuiſſe, q̄ ſi pro argento, quod certis penſionibus Romanis ſoluere debebant, aurum dare mallent, decem argēteos pro uno aureo præſtare poſſent. quæ computatio, & nomine, & effectu a cōmercio, &

pecuniis noſtri temporis non abhorret, niſi quid minimum malitia ſubtrahētium iuſto ponderi pecuniarum forte diſſentiat, cum aureus nummus noſtri temporis, qui uulgo Ducatus appellaẗ, iuſtum ſit ſignari pondere drachmæ, uidelicet decem, & octo charatis, & ſi iam charatus cōminutus ſit, & ipſe etiam noſtro æuo decem fere drachmis argenti in communi cōmertio permutetur, uidelicet decem Iuliis Romanis, qui fere pondere drachmæ ſignantur, uel totidē Ferrarienſibus, ſeu Mantuanis eiuſdem ponderis, & æſtimationis, uel duodecim Marcellis Venetis, qui ſinguli quindecim charatis adiecto dimidio pendent, & fere apud omnes nationes, quæ puro metallo auri, & argenti temporibus noſtris in pecuniis utuntur, ratione Liuiana argentum auro in decuplo conuenit. ex quibus obiter declarabitur, ratio ſatis obſcura, & ut exiſtimo, uſq; nūc ignorata. Libræ Venetæ groſſorum, quæ aureis decem taxatur, & paruoꝶ, quæ duobus marcellis ad imitationem Seſtertiorum appellatæ, quā etiam aliquando antiquos uſurpaſſe, argumēto tabulæ Ariſtidꝭs ſuperius demonſtratum fuit, quia ſicut Seſtertia æris, & argēti eiuſdē ponderis qualitate materiæ, ita libræ groſſorum, & paruorum pondere conueniūt, materia differunt. cum libra paruorum de pecunijs æris intelligaẗ, quæ adhuc Venetiis hoc nomine appellantur, & ſicut hodie minutiſſimi centum, & uiginti pro ſingulis Marcellis permutantur, ita olim pleniores centum, uel plures, qui libram pendebāt pro duobus Marcellis permutatos audiui (& credi par eſt) hinc libram paruorū.ſ. æris pro duobus Marcellis eſſe cōputatam, & appellatam ad imitationem aſſis antiqui, qui decem ſingulis denariis antiquis pmutabanẗ, & pro libra uero groſſoꝶ libram argenti eſſe intellectam, quo nomine nūmi

argentei antiqui Veneti appellabantur, qui tempore auorum pleniores, & (ut ab antiquis menſariis intellexi) fere pondere drachmæ ſignabantur, & centum libram implebant, & pro decem aureis, ut nunc idem pondus argenti ratione Liuiana permutabantur. Qui qualiſcunq; ponderis fuerint, argenteos fuiſſe nõ ambigitur, & pro libra groſſorum librã .ſ. minam argenti acceptam, quæ centum drachmis cõſtat, ſatis apparet, quæ & temporibus noſtris nedũ nomine, ſed etiam effectu antiquæ rationi conuenit, cũ centum Iulii, qui fere minam implent, & cẽtũ, & uiginti Marcelli quaſi eiuſdem ponderis pro decem aureis, qui pondere drachmæ ſignantur, permutentur, & ſic in decuplo argentum auro etiã nobis cõuenit. Huic computationi uidetur conuenire locus Lampridii, ſi locus ex ſenſu meo corrigatur, quum ſcribit in uita Alexandri prope finẽ, Vectigalia publica in id contraxit, ut qui decem aureos, ſub Aelio Gabalo præſtiterant, tertiam partẽ auri præſtarent. Corrigo Argenti ex iis, quæ ſequuntur, quia ſe declarando ſcribit, Hoc eſt trigeſimam partem, & ſi auri legat̃, impoſſibile eſt tertiam partem auri eſſe trigeſimã, ſi argenti, computationi Liuianæ congruit. uerbi gratia ſic ſtatue, ꝙ ſinguli aurei binas drachmas penderent, cuius ponderis fere omnes antiquos uidi, decem huius ponderis uiginti drachmas pendebant, & ſic ſcrupulos ſexaginta, quæ ſumma ratione Liuiana decies multiplicata ſexcenta efficiet, cuius trigeſima eſt uiginti, Et ideo, q̇ ſub Aelio Gabalo decem aureos præſtabat, uidelicet ſexaginta ſcrupulos, ſi ex decreto Alexãdri uiginti dedit, computatione prædicta dici poteſt, ꝙ tertiam partem põderis auri, & trigeſimam æſtimationis, & ſic argenti præſtiterint, quæ computatio cuiuſcunq; ponderis fuerint nummi aurei, conueniet.

Digitized by Google

cogitabã tamẽ,quod illa dictio auri,quæ ubiq; in libris im-preſſis,quos uidi,reperitur, aurei corrigi poſſit, & forte re-ctius,quod uidelicet,q ſub Aelio Cabalo decẽ aureos præ-ſtitiſſet,tertiã aurei nũmi ſub Alexãdro pſtaret,quod idem eſſet,qa uiginti ſcrupulos argẽti eadẽ ratiõe pſtaret. Hæc ſatis ſint de Seſtertio & pecuniis antiquis, quas noſtris con-ferre,& corollariũ tractatus difficilis,& cõfuſi operæ pretiũ uidet apponere.Ideo ſubiiciã talẽta,libras,minas,& reliqua pondera, quæ per diuerſos authores, & in principio operis declarata ſũt. Librã ãtiquã noſtræ cõuenire denarii ãtiqui, qui apud authores põdere drachmæ, & nũc eodẽ pondere reperiunt, & totidẽ numero noſtrã, ſicut antiquã ĩplentes, demõſtrãt. Accedit quod ſiliquæ ãtiquæ,& noſtri charati totidẽ ĩ numero antiqs,& noſtris unciis, & libris cõueniũt, in pondere nõ diſcrepare nomẽ arguit, quia quã uulgo nos Charobã,antiqui Siliquã,Græci Ceratiũ appellabãt,& ĩde charatos corrupto uocabulo dictos, credi par eſt,& ſemina illius pomi ſi pleniora alligant, ut in ſitu ſuo naturali fuiſſe credẽdũ eſt,noſtris fere charatis cõuenire reperiunt.Seſter-tio duas libras, & ſemis.ſ.minas repſentari,etymologia uo-cabuli,& authores,& maxime Varro de lingua latina, & Pli nius lib.xxxiii.atteſtat, duo fuiſſe pretia rerum diſſimillima apud authores eodẽ nomine poſita ſatis arguũt, & carmina Iuuenalis adducta ſuperius cõprobabunt, minorẽ Seſtertiũ fuiſſe quartam partẽ denarii,& nomen,quod eſt quarta pars numeri cũ decem aſſes æris pro denario argenteo permuta rent, & authores ſuperius adducti pbant Seſtertium maius, & ſic argenti præterqꝫ,quod authoritate ſuperius pbatũ ſit, nomen ipſum quid fuerit atteſtat, quia ſicut minorem duo aſſes,& ſemis æris,ita maius duæ minæ, & Semis argenti,&

Digitized by Google

ſic denarii ducenti, & quinquaginta pondere drachmæ re-
præſentabant, Denarios, & drachmas conueniſſe authores,
& pondus demonſtrãt, Seſtertia maiora a minoribus ex pre
tiis rerum diſſimillimis dignoſci poſſunt, & neutro genere
maiora, minores uirili, & cum adiectione nũmi ſemper fere
apud authores reperiuntur, qua nota apud antiquos diſcreta
fuerunt, ut ſuperius me opinari ſcripſi, iam deſiit apponi,
Denarios antiquos ad noſtros pondus maxime accommo-
dabit. & cum pondere drachmæ reperiantur, Iuliis noſtris
Romanis, qui fere pondere eodem ſignantur, & ſimilibus
cõparari poſſunt, aſſes uero Baiochis, qui a ſolidis Mediola
nenſibus parũ differũt, quiq; ita duo, & ſemis quartã Iulii, &
decem ĩtegrũ (ut olim aſſes totidẽ numero Seſtertiũ mino
rẽ) & denariũ repræſentabant, Seſtertiũ uero argenti, & ſic
maius ſi ad noſtros nũmos deducere uolumus, ut olim ipm
ccl. denarii, &. vi. millia talentũ Atticũ, ita nunc totidẽ Iulii
conficient, & pro proportione põderis, & æſtimationis. cc.
&. lxxx. fere Marcelli Veneti Seſtertium, & ſex millia ſeptin
genti, & uiginti talentũ, Eandẽ computationẽ ad aureoſ no
ſtri tẽporis poterimus trãſferre, qui uigintiq; de camera,
& ſine lagio (ut uulgari uocabulo utar) Seſtertiũ, & ſexcenti
talentũ Atticũ repræſentabãt. Si uero ad antiquos aureos,
qui frequentiores pondere duarum drachmarũ reperiunt,
tranſferat, unus ex iis duos ex noſtris additis fere duobus chã
ratis efficiet, & pro portione Philippeos, qui fere. vii. Scru-
puloꝝ, & ſic. xlii. charatoꝝ reperiunt. Et ſic ex præmiſſis ex-
cuſſis nominibus pecuniarũ facillime poterunt pondere cõ
parari, & ſi quid mores, ſeu commixtiones metallorum im-
mutauerint, coniectura comprehendi.

Digitized by Google

LEONARDI DE PORTIS IVRISCONSVLTI VICENTINI DE SESTERTIO, PECVNIIS, PONDERIBVS, MENSVRIS ANTIQVIS, ET STIPENDIIS MILITARIBVS, LIBER SECVNDVS.

i AM EXCVSSO SESTERTIO, et Pecuniis antiquis ita declaratis, ut quicquid illis expenſum,aut diſtractum apud authores antiquos legitur, noſtris pecuniis conferri, & facile intelligi poterit, adeoq; ratio mihi uidetur confirmata, ut ſi quæ difficultas occurrat, quod authores ĩter ſe diſcrepẽt,aut nõ ueriſimilia tradant,uitio librorũ potius, q̃ obſeruationi meæ aſcribat̃; quod ſæpius admonuiſſe cõuenit,quia(ut alias dixi)numeri non modo ſæpe corrupti,ſed raro ſynceri,& Pondo,Talenta, Seſtertia ſæpiſſime immutata,& nũmi ſine mentione Seſtertii,& cõtra apud authores reperiunt̃. Accedit,& illud quod obiter libet admonere,quod ãtiqui,teſte Plinio libro xxxiii. cap.x.ultra centũ numerũ nõ habebant, ſed numeros multiplicando cõputabãt, ut decies, uicies,millies, & reliqua,qui pluribus ĩ locis deſunt, uel ſuperflui ſunt,unde erro res,& confuſiones oboriunt̃, quæ cõputando,& cõferẽdo ſummas diſcuti poterunt. ex quibus nonnulla cõputare, ut exemplo melius cognoſcantur,non incongruũ fore putaui, & maxime ex profeſſis in Sextertio computationi aliquas non inutiles obſeruationes inſerendo de ſtipẽdiis militaribus,quæ, & quo interuallo ab antiquis ordinarie militibus exhiberentur, ingenue profiteor me diu quæſiſſe, & uix his diebus iam perfecto Seſtertio ſatis probabile argumentum

ad hoc excuſſiſſe, iam editis Romæ quinque libris Cornelii Taciti nuper in Germania repertis, ultra alios, qui uſq; ad hæc tempora fuerunt in uſu, ex quibus ſatis demonſtrari ui- detur, Stipendium militibus antiquis tradi ſolitum, a ſti- pendio militari noſtri temporis non multum differre, quia uidetur natura comparatum, q͞p ex uſu, & neceſſitate mores effluxerint. Et ideo nimirũ ſi apud antiquos, & noſtro æuo uſu receptum ſit, & ex commodo ſoluentis, & recipientis conſtitutum, ut pediti aurei terni ex noſtris menſtrui exhibe rẽtur, quia ab expertis illius diſciplinæ uſu compertum fuit, militi illius ordinis, hanc ſummam illo curriculo temporis poſſe ſufficere, & equitibus, & reliqs plus pro portione one- ris, & dignitatis. In hoc tamen expreſſe noſtra militia ab an- tiqua differt, quia militibus noſtri temporis ſtipẽdium uni- uerſum in pecunia numerata exoluitur, antiquis uero ãno- na, & ueſtes, arma, & equi, cæteraq; utenſilia ex publico tra- debantur, quæ tamen ſtipendio imputabantur, niſi donari in exhibitione exprimeretur, reliquũ quod ſupererat ex ordi nario ſtipendio, in pecunia exoluebatur. Et ideo in pluribus locis legitur equitibus minus idoneis equos publicos adem ptos, & armorum fideiuſſores receptos, & q͞p annona, & ue- ſtes ſtipendio non imputarentur, in exhibitione aliquando expreſſum. Authores citare de unaquaq; re longum eſſet, de annona Cornelius tacitus prope finem quintidecimi libri atteſtatur, cum ſcribit additum ſine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur. De ueſtibus Plutarchus in uita C. Gracchi ſcribẽs, quod. G. lege tulit, quod ueſtes, quæ antea ex publico tradebãtur, ſed ſtipendio imputabant͛, de cætero non imputarent͛. de armis, & aliis neceſſariis militiæ fides ſit ex authoribus ſumpta fuiſſe. Et inſuper ultra ſtipen-

Digitized by Google

dium ordinarium ex occaſione, ſeu uictoria nomine præ-
dæ, ſeu donatiui diuerſas ſummas pecuniarum militibus
exhibitas ſæpius fuiſſe conſtat, immo fere ſemper rebus an-
xiis, uel lætis pro conſolatione uel præmio, donatiui nomi
ne, ex uoluntate Ducis ſeu copia ſtipendium extraordina-
rium tradi ſolitum. Sed iam argumentis, ſi teſtibus non po-
terimus, demonſtrare conemur rem ſcitu digniſſimam, &
quam perfecte intelligi multum uitæ, & hiſtoriæ intereſt,
& a leuioribus incipiendum. Plutarchus in uitis Pompei,
& Cæſaris annua mille talenta a ſenatu fuiſſe deputata Pom
peio pro ſtipendio exercitus, quem ſub legatis Afranio, &
Petreio ſuis auſpiciis in Hiſpania alebat, eandem ſummam
in conditionibus pacis ſiue induciarum Carthaginenſibus
imperatam pro impenſa exercitus a Romanis, Appianus in
bello Lybico ſcribit, & alibi hanc ſummam pro alimento
exercitus ordinarii deputatam legitur, quæ computatione
præmiſſa ſexcenta millia noſtrorum aureorum conficit.
Porro ex Vegetio, & hiſtoricis colligi poteſt ordinariũ exer
citum Romanis fuiſſe ex duabus legionibus, quæ aliquãdo,
& fere paſſim ſæculis poſterioribus ſingulæ ſex millia pedi
tum, & quingentos Equites in ſe habebant. Si hoc numero
militum impenſa mille talentorum deputata fuit, nõ abſur
da coniectura elici poteſt antiquum a noſtro militari ſtipen
dio non multum differre, cum duodecim millia peditum
noſtro æuo, pro ſtipendio ſingulis tribuendo aureos ex no-
ſtris tres, menſtrua triginta ſex millia accipient, & cum mos
fuerit Romanis equiti triplex ſtipendium præſtare, mille
equites nouem millia, reliqua quinque millia uſque ad quin-
quaginta in ſalariis Centurionum, tribunorum, legatorum,
in conuehendis Machinis, & aliis extraordinariis expenſis

ueriſimiliter conſumi potuerunt, qua computatione dici poteſt exercitum ordinarium etiam Romanis quinquaginta millia noſtrorum aureorum ſingulo menſe impenſam habuiſſe, & anno integro ſexcentena millia, quæ ſumma ſic diſtributa talentis mille ad alendum exercitum ordinarium ſatis conuenit, & a communi ſtipendio noſtri temporis non abhorret. non ignoro tamen exercitum Hiſpanum Pompei duas legiones exceſſiſſe, ſed talem fuiſſe ordinarium hiſtorici, & Vegetius ſcribunt, & dici poſſet hanc ſummam ordinariis copiis deputatam, extraordinariis uero ex libidine Pompei ſuper additis ex redditibus prouinciæ, ſeu aliis extraordinariis ſtipendia fuiſſe perſoluta, & exemplum in Cæſare legimus, cui bello Gallico duæ legiones fuerunt a Senatu deputatæ, quas poſtea ex libidine, ſeu neceſſitate ad decem propria authoritate adauxit, uel hæc mille Talenta pro pecuniario ſtipendio, reliquũ pro ueſtiario, & annona aliunde quæſitum, quia aliter impoſſibile fuiſſet, tã exigua ſumma tã numeroſum exercitũ aluiſſe, & proſequẽdo, quæ in hac materia obſeruaui, pluribus in locis apud authores legitur, ternos aureos pro ſtipendio militibus traditos, ut in Lampridio in uita Aelii Cabali prope finem, ubi ſcribit mulieribus, quaſi militibus ternos aureos dare iuſſit, & in uita Diadumeni in principio, pro imperio ternos aureos, & Capitolinus in uita Albini in principio, habebis facultatẽ dandi ſtipẽdii uſq; ad tres aureos, & cum in hac ſumma diuerſi authores conueniant, opinari poſſumus ſtipendium ordinarium fuiſſe trium aureorum illius ſæculi, qui ſinguli, ut in Seſtertio iam dixi, binas drachmas pendebant, & duos ex noſtris repræſentabant. Sed maior difficultas occurrit, an illi tres aurei menſtrui, aut maiori interuallo ordinarie perſol-

Digitized by Google

uerentur, Suetonius in uita Domitiani cap. de quibuſdam
conſtitutis per eum, ſcribit, Addidit & quartũ ſtipẽdiũ mi/
liti aureos ternos, ex quibus uerbis argumentum ſatis proba
bile ſummi poteſt, ante Domitianum tria tantum ſtipen/
dia militibus tradi ſolita, ideſt quadrimenſtruata, & ſic di/
midium ſtipendii noſtri temporis, uidelicet aureos noſtros
decem, & octo, & Domitianum quartum addidiſſe ad in/
ſtar Gallici ſtipendii noſtri temporis, quod trimenſtruum
apud illos mos eſt perſolui, reliquum ad ſummam triginta/
ſex annonæ, ueſtibus, & aliis neceſſariis computatum. Multa
alia argumenta de ſtipendiis, cum res eſſet in obſcuro, obſer
uaueram, quæ ſcribere non curaui, re iam ſatis meo iudicio
diſcuſſa, authoritate Cornelii Taciti in libro primo nuper
reperto, ubi mentionem facit de ſeditione militari in tranſi
tu Alpium Carnicarum oborta Duce Bleſo. Ibi milites ſedi
tioſis uocibus miſeram conditionem ſuam conquerentes,
quotidianis decem aſſibus ſcilicet denario corpus, & animã
ſeruitio addixiſſe Imperatori exprobrabãt. ex quibus uerbis
mihi ſatis demõſtrari uidetur, quale fuerit ſtipendiũ, quod
pediti apud antiquos ordinarie perſolueretur, & obiter ſti/
pendio noſtri temporis conuenire, quia ex his, quæ in Se/
ſtertio declarata fuerunt, ſatis probatum fuit *x.* aſſes dena/
rium, & triginta denarios antiquos trigintaſex Marcellos
Venetos, aureos uero tres noſtri temporis conficere, quæ
ſumma menſtrua ordinaria, & communis, ſicut, & antiquis,
etiam noſtro æuo fuit pro ſtipendio peditis. Equitibus ue/
ro Centurionibus, Tribunis, Legatis, & reliquis in militia
priuilegiatis apud antiquos, & noſtris temporibus compa/
ratione peditum pro portione oneris, & dignitatis conſti/
tuta fuiſſe ſalaria credi par eſt, & hæc ſatis de ſtipendio.

Digitized by Google

Redditus, & Theſauros populorum, & regum tributa di-
uitiaſqꝫ priuatas, & reliqua, quæ in Seſtertio propoſui ope-
roſum, & prorſus inutile eſſet recēſere, ſiquis uelit quaſcūqꝫ
ſummas pecuniarum, quæ penes authores antiquos legun-
tur computare, cum declaratis iam pecuniis, & pōderibus,
id ſibi unuſquiſqꝫ præſtare poſſit, & ad pecunias noſtri tem-
poris referre, nonnullas tamen exquirere non inutile fore pu-
taui, ut exemplo computatio facilior, & comparatione di-
uitiarum antiqui ſæculi noſtri mendicitas detegatur. Aſſes
ratione, & exemplo in Seſtertio ſatis computati ſunt, ſimili-
ter denariorum pondus, & ratio ſatis declarata, nec mi-
nus pondo Seſtertii, & talenta, ſed exempla adducamus.
Liuius præcipue, & fere latini authores in exprimendis pe-
cuniis, Pondo indeclinabili utuntur. De eo locum unum
Liuii mihi pro exemplo aſſumam libro.xxvi. decadum, ſcri-
bit ex præda Carthaginis nouæ expugnatæ delata fuiſſe ad
imperatorem Scipionem decem, & octo millia, & trecenta
pondo argēti. Hæc ſumma ad noſtros nūmos relata ſumen-
do pondo pro mina, centum & octoginta tria millia no-
ſtrorum aureorum de Camera reddet, & ſic totidem libras
Venetas groſſorū, quod pondo, hoc idem libro.xxvii. ſcri-
bit ex præda expugnati Tarenti relata octoginta tria millia
auri pondo. Credo ſcribi debere centum octoginta millia
ex Plutarcho in uita Fabii, qui tria millia talenta auri fuiſſe
ſcribit, quæ pondo centum, & octoginta millia reddunt.
Ex qua centum, & octoginta centena millia noſtrorum au-
reorum ſignari potuiſſent, addito ſingulis Charato, quo
minus noſtri pendent, hæc de pondo ſufficiant. Talēta qui-
bus in exprimendis magnis ſummis antiqui authores maxi-
me Græci uſi ſunt, multiplicia fuiſſe in Seſtertio ſcripſi, ſed

Digitized by Google

Atticum,quod magis commune fuit in exẽplum aſſumam. Plutarchus in uita Ariſtidis ſcribit, Athenienſes a ſociis annua mille,& tercẽta talẽta exegiſſe,quæ ſumma ad pecunias noſtras relata ex iam declaratis nouies centũ millia noſtroꝝ aureorum conficit,quicquid ultra ex propriis redditibus haberent.ſ.uectigalibus,tributis,metallis, quibus tota ea regio tunc maxime ſcatebat, & quibus illa reſpub. tam numeroſas claſſes,& exercitus maxime bello Perſico, & Siculo conſtruxit,& aluit,et profuſas in populum largitiones, & in ſacrificiis, & ſpectaculis pompas exhibuit, non eſt propoſiti noſtri recenſere,ſed in mentione talentorum, quia (ut ſuperius dixi) his maxime antiqui in exprimẽdis magnis ſummis utebãtur,omiſſis Lydiæ, Aegypti, Perſiæ,& aliorũ regũ opulentiſſimorum redditibus, imperii ab Alexandro acquiſiti exemplum apponere uolui, pro miraculo diuitiarum illius ſæculi,argumento de redditu annuo imperii Ro. in fine dilato. Iuſtinus in Epitomate ſuo libro.xiii. ſcribit poſt obitũ ipſius Alexandri in theſauro reperta fuiſſe centum millia talẽtorum, quæ ad noſtras pecunias relata, ſi Attica fuerũt, quæ minima, ſexagies decies centena millia noſtrorum aureorum conficient,& in annuo redditu tercenta millia talẽtorum,quæ noſtris computata ſummam triplicabũt,& cencies octuagies decies centena millia aureorum noſtrorũ repræſentabũt,quæ quicquid auri,& argẽti noſtro æuo toto orbe reperitur, ſummam ſine dubio excedit. Quo argumento deſinant iam nõnulli diuitias,& gloriam noſtri ſæculi celebrare,cum hoc maxime exemplo, & aliis infra dicendis,& quæ adduci poſſent,mendicitas,& inopia noſtri detegatur,ſi prædas uolumus exquirere. Plutarchus, Arianus,& alii,qui geſta Alexãdri ſcripſerũt, quadraginta millia talentoꝝ captis

Digitized by Google

Suſis ex ærario Darii præter aliam pretioſam ſupelleſti-
lem ſuſcepiſſe, & pter ea, quæ Perſepoli, Tyro, Damaſco,
& in pluribus aliis locis percepiſſet, quæ ſumma intelligen-
do, ut ſupra de Talentis Atticis ſexaginta librarum ad no-
ſtros relata, uicies & quater, decies cētum millia aureorum
noſtrorum efficient, ſi quinquaginta millia fuerunt, ut Aria
nus ſcribit, quinta pars addi poteſt, ſi de talentis Euboicis,
ſeu Aegyptiis oſtuaginta minarum (ut credi par eſt) quæ
in illis regionibus erant in uſu, pro portione ſumma multi-
plicabit. Iam ſatis de Talentis, quia comparatione magnæ
ſummæ minimæ, & exemplo Atticorū Euboica, & Aegy-
ptia computari poterunt, quæ minas, ſeu pondo oſtuagin-
ta pendebant, ut Plinius atteſtatur libro.xxxiii.c.iii. de Eu-
boico alibi, & maxime in Liuio cōſtat. Ad res Romanas
tādem accedamus, quarū magnitudo, & gloria nos, qui ſu-
mus eiuſdē terræ alumni, maxime in admirationē cōuerte
re, & excitare debet, quid potius miremur theſauros, uel red
ditus? an profuſas impenſas publicas, uel priuatas? de his
omnibus mirabilia ſcribunt authores illius ſæculi, & maxi-
me Plinius libro.xxxvi.c.xv. & alibi, quæ non eſt nunc noſtri
propoſiti recenſere. Si quis uelit, legere poteſt, & ex præſup
poſitis ad noſtras pecunias referre. nonnulla tamen adducā
pro exemplo Seſtertiorum, & alia quædam pauca, quæ ma
gnitudinem Romani Imperii demonſtrabūt. Quadrin-
gentis Seſtertiis Equeſtrē cenſum conſtitiſſe omnes autho-
res conſentiunt, quæ ſumma fuerit noſtrarū pecuniarū, uſq;
nunc ignorauimus. nūc ex præſuppoſitis cōſtat decē millia
noſtrorum aureorum repræſentare. de cenſu ſenatorio, qui
fuit primo teſte Suetonio in uita Auguſti cap. de eius libe-
ralitate, ubi etiā ſignificatio aduerbii duodecies demōſtra-

Digitized by Google

tur, uiginti millium, & poſtea triginta milliū, & de aliis pri/
uatis diuitiis non placet ulterius diſſerere, quia ſuperfluum
uidetur. Diuitias Craſſi mihi pro exemplo Seſtertii aſſumā,
quæ fuerūt Seſtertiorum uiginti millium teſte Plinio libro
xxxiiii. cap. x. quæ ſumma noſtrorum aureorum efficit quin/
quies centum millia, quam intelligo in annuo redditu, &
non in capite, uel ſorte, cum Plutarchus in eius uita ſcribat
iam decima ſuarum facultatū Herculi conſecrata, & uniuer
ſo populo Ro. epulo exhibito, & ludis magnificentiſſimis
& aliis ꝓfuſis expenſis, & largitionibus patrimonio exhau/
ſto, eum tamen ſeptem millia, & centum talenta poſſediſſe,
quæ ſumma uſuris ſemiſſibus plus dimidio uiginti millium
in anno redderet, uidelicet ducenties quinquagies quinqꝫ
mille. Et forte locus ī Plinio corrigi poſſet ī decē millia ut
redditus ſorti ī Plutarcho poſitæ ꝓpius accederet, uel ſors
in Plutarcho duplicāda. accedit argumentū, ꝙ ea decē, ſeu
uiginti millia Seſtertium in annuo redditu intelligi debeāt
& non in ſorte, quia idem Plinius loco ſuperius adducto,
ſcribit Craſſum dicere conſueuiſſe non eſſe diuitem, qui le/
gionē annuo redditu tueri non poſſet. Legio. n. ſeptē mil/
lium talentorum impenſam non requireret. xx. uero milliū
uel paulo minus nutrire poſſet, ut ex præſuppoſitis de ſtipē
dio demonſtraui. De impēſis ædificiorū urbis Romæ Pli/
nius, ut Suetonium, & alios authores omittam, libro xxxvi.
cap. xv. refert orbem terrarū non ſolum armis Romanis, ſed
etiam ædificiis, & operibus mirabilibus ſuperatum, theſau/
ri, & opes publicæ Romanoꝝ ex magnitudine īperii, & tot
opulentiſſimis gentibus, & regnis, uidelicet Macedoniæ,
Aſiæ, Cypri, Aegypti, Cyrenarum, & aliis deuictis, & expila
tis coniectari poſſunt, & uere dici poteſt quicqd auri, argē/

Digitized by Google

ti, aut pretioſæ materiæ in toto orbe fuerit, in unam urbem defluxiſſe, ex quibus multa ex authoribus antiquis exempla adducere poſſem, ſed Plinius, ad hoc, & in plurib. aliis mihi ſufficiat lib. xxxiii. ſæpius adducto cap. primo. & tertio ſcri- bit ingentes, uel potius mirabiles auri, & argenti congeries diuerſis temporibus in ærarium populi Romani delatas. Ex quibus unum uel duo exempla referã, ut obiter locus in illa parte (ut opinor) corruptus corrigatur, reliqua in eo, & Plu- tarcho, Liuio, & aliis authoribus (ſiqs uelit) legat, & ex præ- ſuppoſitis ad noſtras pecunias referat. uerba Plinii, ut ĩferius in libris impreſſis leguntur. auri in ærario populi Ro. fuere Sexto Iulio, Aurelio Coſs. ſeptem annis ante Punicum bellũ tertium pondo. Dcc.xxv. & reliqua quæ ſequũtur, quæ ſi in telligantur, prout legitur in impreſſis, male cohærent, & nõ reſpondent miraculo, quod Plinius ad oſtentationem Ro- manæ potentiæ poſteris tradere intendit. in libro ſcripto, ut infra legitur auri pondo. Dcc.x. argenti pondo nonagin- ta duo millia, & in numerato. lli. lxxxv. M. &. cccc. quæ ſum- ma ad noſtras pecunias relata computando pondo auri cen tum ex noſtris aureis argenti decem, & pro Seſtertiis uigin- tiquinq; quaterdecies centum, & ſexcẽta quinquagena qui- na millia noſtrorum aureorum, uel alio modo, Quadragena ſena centena, & quinquagena quina millia, ſi error non eſt in calculo. Reliqua quæ ſequũtur, quia nec ĩ libro ſcripto, nec in impreſſis ſatis mihi conuenire uidentur, computare non curaui, nec quid auri, aut argenti in ærario fuerit Sexto Iulio, & Lutio Mauro Coſs. aut Cæſar ciuili bello ex eo expi lauerit, aut Scipiões, Sylla, Marcus Lucullus, & deniq; Pom peius, & Cæſar deuictis gentibus in Triumphis detulerint, & Cato ſua illa togata expeditione ex Cypro, aut Paulus

Digitized by Google

Aemilius ex deuicta Macedonia deuexerint, qui in ærarium ex ea auri pondo tribus millibus teſte Plinio, qui cum Plutarcho non bene in hoc conuenit, delatis populum Romanum tributo liberauit, quiſq; ſibi legat, & computet. Sed in mentione pecuniæ nomen tributi me impulit, ut exquirerē rem ſcitu digniſſimam, & a nemine authorum, quod ſciā bene traditam, quid in redditu populus Romanus habuerit tēpore quo maxime uiguit, & potentior fuit, niſi quis uelit Plutarchum in uita Pompei adducere, qui nō immerito ſolitus ſit prædicare, ſe Aſiam ultimam prouinciarum accepiſſe, & mediam ſua uictoria præſtitiſſe, & redditus populi Ro. ex quinquagies decies centenis millibus, ut uerbis Plutarchi utar, pro ut in libro conuerſo, & impreſſo legitur, ad octuagies decies centena millia auxit, quam tamen ſummā ſiquis uelit computare, & de Seſtertiis argenteis intelligere, omne miraculū, & rationabilē copiā excederet. ſi de æreis, & ſic minoribus ad ueriſimilē non accederet, etiā ſi illa decies per centena millia multiplicentur, ut multotiens reperitur, adeo ꝙ nihil certi, aut ueriſimilis ex uerbis Plutarchi impreſſi poſſit omnino obſeruari, ſed ex libro Græco, qui nup ad manus noſtras peruenit fortaſſe emendatiori q̄; ille, qui olim in latinum fuit conuerſus, uel melius interpetrato unico uerbo mutato ſatis conſtat, Quid illo ſæculo. ſ. triumphante Pompeio, populus Ro. in annuo redditu habuerit, ut inferius adducam, Quid uero ſæculis poſterioribus maxime ætate Plinii cum adhuc apud authores exquiſite, uel ex profeſſo non inuenerim, per argumenta exquirere conuenit. Quibus ſi credere uolumus, Plinius eruditionis magiſter, & ſine quo, ſi uerum fateri uolumus, iam facta librorum antiquorum iactura, nihil ſciremus, non abſurde, id meo iu-

Digitized by Google

dicio præſtabit, ſi duo eius loci conferantur, & bene obſer-
uentur, & computētur, ſed prius uerba Plutarchi adducam, cuius codex in eo, quod in impreſſo latine legitur centena millia, illa millia in myriades corrigi debent, & numerus ad drachmas referri, & id in Græco expreſſum eſt, ut dicat uniuerſa Ro. urbis uectigalia ante illud bellum fuiſſe quinquagies decies cētenas myriades drachmarum, & ad octuagies quinquies decies centenas auctas, & ſenſus qui aliter nullo modo elici poteſt, rectiſſime procedet. ſ. Pompeium ſibi arrogaſſe, ꝙ redditus annuos Po. Ro. qui ante ipſum quinquagies decies centenas myriades drachmarū præſtiterant, ſua uictoria ad octuagies quinquies cētenas auxiſſet, quæ ſumma, ad noſtras pecunias relata, ex his, quæ in Seſtertio diximus, ītelligi debet, ut quæ ante Pompeiū quinquagies decies centena millia noſtrorum aureorum fuerant, ad octuagies quinquies cētena millia aucta fuiſſe, uel aliter, quæ quinquagies millena millia fuerant, octuagies quinquies effecta, cum ex his, quæ in Seſtertio diximus, aurum argento decuplo computetur, & ſic myrias. i. decē millia drachmarū argenti mille ex noſtris aureis, qui ſunt pondere drachmæ cōficient. ſ. quot myriades drachmarum argenti tot millia noſtrorum aureorum intelligantur, uel aliquid plus, uel minus, pro ut illis diebus aurum argento conueniebat. Et ex his ſatis redditus annui Po. Ro. triumphante Pompeio intelligi poſſunt. Quid autem habuerit ſæculis poſterioribus, quibus ditior fuerit reſpublica iam ad Monarchiam redacta, maxime circa tēpora Plinii ex eo conabor oſtēdere, duobus eius locis collatis, ut ſuperius dixi libro. xiii. ca. xviii. de felicitate Arabiæ ſcribit Indiam, Seres, & Arabiam uidelicet negotiationes, quæ ex illis regionibus ī noſtrū orbē deueherent,

Digitized by Google

adimere imperio Ro. annua millies centena millia Seſter/ tiorum,& intelligo de æreis, & ſic minoribus,qui ut in Se/ ſtertio dixi,quatuor denarium conficiũt, & ſic erunt millies uigena quina millia denariorum, uel clarius denarii ducen/ ties quinquagies centũ millia,quæ ſumma ad noſtras pecu/ nias relata ex præſuppoſitis, ut decem denarii aureum ex no ſtris referant, aureorum noſtrorum bis decies, & quinquies centena millia. Et hanc ſummã ſcribit Plinius Indiã, Seres, & Arabiam imperio Ro, quotannis ademiſſe. alio in loco, uidelicet libro ſexto capite.xxiii.ſcribit Indiam ſingulis an/ nis quingenteſimam exhaurire Romani imperii, & cum de India ſcribat, intelligo de tota illa negotiatione orientali de qua libro.xiii.mentionem facit, quia ibidem manſiones & itinera non ſolum ad Indiam, ex qua etiã merces Sericæ deuehebantur,ſed etiam ad Arabiam pertinentia deſcribit. ex quibus credi par eſt, Plinium de tota illa negotiatione in tellexiſſe.ſ.Serica, & Arabica,quæ fere uniuerſa Coptũ op/ pidũ Aegypti a mari rubro Camelis deuehebatur,& ſi quin quagies multiplicetur ſumma poſita libro.xii.ca.xviiii.uide licet bis decies,& quinquies cẽtena millia,ad centena uige/ na quina centena millia noſtrorum aureorum aſcendẽt, uel alio modo,centies uigecies quinquies,decies cẽtum millia, & totidem millena millia noſtrorum aureorum,illa ſumma poſita libro.xiii. quinquagies multiplicata efficiet, & tan/ tum habuiſſe in annuo redditu populũ Romanũ ſumpto. Ex his duobus locis Plinii collatis ſatis probabili argumen/ to nõ abſurde opinor,immo opinionẽ profiteor,nec mira/ culum, aut incredibile uidebitur, ſiquis ueſtigalia,metalla, tributa, & alios urbanos, & prouinciales illius imperii red/ ditus animaduertat, quos quaſi ad calculum huius, & for/

taſſe maioris ſummæ ĩueniet, ſi exacte, & particulariter quid quæq; prouincia ſolita ſit, & potuerit illo ſæculo exhibere complectatur animo, cũ ex Hiſpania ſola ultra alios uberrimos prouentus mirabilis, & pene incredibilis auri, argenti, atq; aliorum metallorum copia proueniret. Cuius tres tantum regiões Plinius tradit libro.xxxiii.cap.iiii. uicena millia auri pondo ſingulis annis Po.Ro.præſtitiſſe, quid Turdetania, Bethica, Cantabria, & Celtiberia, & aliæ? quid hæ, & reliquæ argenti, quas omnes argenti, & omnium metallorum fertiliſſimas fuiſſe ipſe atteſtatur. Et idem confirmat Strabo in deſcriptione eiuſdem prouinciæ, ſcribens apud Carthaginẽ nouã ex breuiſſimo terræ ſpatio ſtadiorũ.cccc.ideſt ex quinquaginta millibus paſſuũ Po.Ro.in dies uigintiquinq; millia drachmarũ, quæ ſumma ex noſtris aureis duo millia, & quingentos conficit redditum habuiſſe, & ut etiam Plinius bonorum omnium, & præcipue auri, & aliorũ metallorum fertiliſſimam prædicat. Idem multi alii authores atteſtantur, ex quibus fortaſſe nõ temerarie proferri poſſet Po. Ro. ex ſola Hiſpania tũc maiores redditus percepiſſe, quã uniuerſæ Europæ prouinciæ ſuis Principibus nunc exhibeant. Sed quid Galliæ metallis, & cæteris bonis fortaſſe non inferiores. quid Italia tunc florentiſſima. quid ipſa Roma totius orbis emporium, & domina, quantum ſibi ipſi præſtitiſſe credi par eſt. quid Illyricum uniuerſum auri, & argenti fertiliſſimum, cuius unam tantum partem breuiſſimo ſpatio in Dalmatia Plinius loco ſuperius adducto refert quinquagenas libras auri ſingulis diebus effudiſſe, quid prouĩciæ illi cõtiguæ, & eiuſdẽ naturæ (ut Britaniã & Germanias omittam quibus illis ſæculis argenti, & auri metalla nondum cupido aut ingenium fuerat ſcrutari) Epirum, Macedoniam,

Digitized by Google

Pannonias, Moeſias, Thraciam? Quid tot Græciæ regio-
nes, quibus, & ſi multum prioris fortunæ tūc deeſſet, tamen
illius non contemnendam partem adhuc ſeruabant? Quid
magna Cherſoneſſos, a quibuſdam Aſia minor appellata, ex
qua, nec ītegra, & iam per Mithridatem exhauſta, Sylla una
indictione uiginti millia talētorum exigere non dubitauit?
Quid extra illam Ponticæ regiones, ex quibus uelus aureū?
Quid aliæ ultra Taurum ditiſſimæ, Syria, & aliæ circa il-
lam a Romanis tūc poſſeſſæ? Quid Aegyptus, Cyrenæ, Ly-
bia, Numidia, Mauritania? Quid tot ſparſæ mari noſtro
inſulæ feliciſſimæ. Quarum omnium, & aliarum continen-
tis regionum, tunc Romano imperio ſubiectarum, ſiquis
diuitias, potentiam, & redditus per authores relatos com-
plectatur animo, nō profecto mirabitur de his quos ex Pli-
nio computando excuſſi, ſed maiores fuiſſe credet, & paulo
minus ex aliis authoribus illius ſæculi calculo confirmabit,
ſi argumentis ex Plinio adductis minus fidei præſtiterit.
Quod aliquando exquirere cogitaui, & fortaſſe non abſur-
de perfeciſſem perſcrutādo, quid quæque Regio, ſeu Reges,
tunc uel paulo ante in redditu habuiſſent, niſi ambitioſum,
& prorſus inutile uiſum fuiſſet ex diuerſis authoribus, &
multiplicibus locis coniectura, & argumentis exquirere,
quod ex duobus quaſi eiuſdem ſæculi luculentiſſimis au-
thoribus ſatis, & aperte conſequi poſſem, quorum authori-
tates ſibi inuicem maxime fidem arrogent, cum ea quæ ex
Plinio adduxi, non uulgare teſtimonium afferant, his quæ
Plutarchus in loco ſuperius adducto atteſtatur, Populum
Romanū triumphante Pompeio octogintaquinque myria-
das drachmarum, & ſic octogintaquinque millena millia no-
ſtrorum aureorum in annuo redditu percepiſſe. Et hæc illa

Digitized by Google

confirmant, quæ ex Plinio adducta fuerunt, tot prouinciis poſtea imperio additis, & ex deuictis ante Pompeium uſq; ad tempora Plinii pacatis, & ad uberiores prouētus (ut credi par eſt) productis. illa octoginta millena millia ad centum, & uigintiquinq; millena millia accreuiſſe, quod facile diſquirere poteſt, ſi quis poſtea acquiſitas, & pacatas prouincias recenſere uelit, & quales fuerint, conſiderare. Sed cum iam ſatis pecuniæ declaratæ, & computatæ fuerint, & obiter alia multa quibus expenduntur, ut impenſæ, & antiquorum mores nobis innoteſcant, res poſcere uidetur, ut melius cognoſcantur, menſuras ſeminum, liquorũ, & agrorum his addere, quibus uita conſtat, & potiſſimum ad eorũ uſum pecunias inuentas fuiſſe credendum ſit, cum reliquæ merces permutando non ſemper uſibus uitæ conuenirent. Et ideo ex uſu, & cõmodo mortalium metalla, & ex his pecunias inuentas credi par eſt, quæ omnibus comerciis, & maxime his, quæ uictui neceſſaria forent, ſemper eſſent opportuna, & ſic uniuerſa antiquorum cõtractatio cognoſcatur, quas mihi uenia ſit, ſi q̃; breuiſſime, & feſtinata cura percurram, q; ingeniolum meum promptiſſimũ ad referendũ qualiacunq; ſtudio aſſecutũ ſit, negotia urgentiſſima impediant, & alio compellant. Ideoq; mihi ſatis erit menſuras antiquorum frequentiores excutere, & obiter noſtris conferre, & ita breui elogio declarare, ut omnibus quibus erit curæ, ex his facili diſquiſitione reliquæ minus frequentes poſſint innoteſcere. Menſuræ igitur liquorum, ut ab his initium capiam, quæ frequentiores, & ſtabiliores apud antiquos fuerũt, quia humida pondere inter ſe parum differũt, cum in eo ſicca, & præcipue ſemina, quibus uita conſtat, genere, & ſpecie raro conueniãt, ut Triticũ a Milio, & utrũq;

Digitized by Google

inter ſe, & ideo eorum menſuræ non facile pondere depre-
hendi poſſunt. Omiſſis igitur his, quæ tãtum ad medicinæ
uſum repertæ ſunt, ut Cyatho, Myxtro, Cocleari, & reliquis
ſimilibus, frequentiores ad uſum uitæ fuerunt hemina, ſiue
cotila, ſeſtarius, congius, urna, amphora, culeus, quo nulla
liquorum menſura maior fuit apud antiquos. Heminæ
duæ ſextarium, ſex ſextarii congium, quatuor cõgii urnam,
duæ urnæ amphoram, uiginti amphoræ culeum cõficiũt.
Harum ratio ex authoribus inferius demonſtrabitur, & pri-
mum ex authoritate authoris illius ĩ uolumine Priſciani in-
ſerti ſine titulo, qui carmine proſecutus eſt pondera, &
menſuras antiquas, quem Rhemmium Fauinum appellari,
ſcriptum reperi, ex cuius computatione hæc omnia ſumi
poſſunt, & ex aliis authoribus particulariter comprobabun-
tur. Quod urnæ quadraginta, & amphoræ uiginti culeum
conficiant clarũ eſt, de urnis Columella libro quarto cap. iii.
prope finem, de amphoris Plinius libro quartodecimo. ca.
ix. demonſtrat, ſcribens ſeptenos culeos centenas quadri-
genas amphoras conficere. Seſtariis, & congiis quomodo
inuicem ſe habeant, demonſtratur authoritate Catonis cap.
lvii. dum ſcribit menſe ſexto, & reliquis operarium bibere
iuſtum eſſe uini ſeſtarium, idq; referre in menſe congios
quinq; dicit, qui ſexies multiplicati Seſtarios triginta con-
ficiunt, et ſic ſex Seſtarii congium. ſequens computatio
non proprie, ſed prope conuenit, cum ſcribit in menſe. x.
xi. in dies heminas. iii. in menſe amphoram, cum amphora
Seſtarios quadraginta octo, & ſic heminas nonaginta ſex
conficiat, & computatio nonaginta tantum demonſtret.
ſuperior item non conuenit, & codex deprauatus eſt. Legi
tur enim in libro meo impreſſuræ antiquæ loram bibant

Digitized by Google

menſes.iii.meſe.iiii.heminas, & reliqua. Scribi debet loram bibant primos duos menſes tertio, & quarto heminam, ut numerus mēſium duodecim, & ſic anni reperiatur, & a primis, & non a tertio, & quarto computatio initium capiat. Sed nec computatio conuenit, cum triginta heminæ, uidelicet ſeſtarii quindecim duos tantum, & dimidium, & non tres congios conficiant, & ſic aut error in codice, aut meus eſt, aut de minimo non curauit. Heminam eſſe dimidium ſeſtarii Gellius libro iii.cap.quartodecimo teſtatur. Liquorum itaq; menſuris ita declaratis, ut quid inuicem capiat, & capiantur, ſatis intelligi poſſit, earum pondera (quibus præcipue deprehēdi) & ad noſtras referri poſſunt, dicēda ſunt, & a minore, ex iam dictis initium capiam. Hemina pendet uncias decem, ſeſtarius uiginti, hoc eſt librā, & bes, congius libras decē, urna quadraginta, amphora octoginta, culeus mille, & ſexcentas libras pendet, hæc ex diſpoſitione iam dicta menſurarum, & ex multis authoribus, & maxime ex Fauino ſupradicto colligi poſſunt, & de amphora, & ſeſtario Sextus Pompeius atteſtatur. Et ex pulcherrima Pliniana cōputatione paucis cognita libro quartodecimo cap.iiii. ſcribēdo de uino Opimiano colligit, & obiter uſuræ ſemiſſiū comprehenduntur, quas noſtris ſæculis diu non bene cognitas, mihi olim applaudebam, uel ſolum, uel inter paucos intellexiſſe, poſtea longo interuallo Hermolaum inter noſtræ ætatis literarum aſſertores eminentiſſimum, in prima æditione Plinianæ caſtigationis ignoraſſe, in ſecunda non ſuo fortaſſe inuento, ſed ex alicuius relatione, ex eo cognouiſſe animaduerti, quia locum Columellæ corruptum adduxit, Ex quo nec computatio, nec uſuræ ſemiſſium ſubduci poſſunt, & excuſationem ſui codicis corrupti ipſemet excludit,

Digitized by Google

profitẽdo in fine operis nihil mẽdoſum ĩ eo reperiri poſſe, ſed fortaſſe ex eo uitium fuit, ꝙ ad ſummam Seſtertiorum, ex qua uſuræ non ad principium, ex quo ſumma ſubducitur aduertit, uidelicet ad modum, ſeu numerum iugerum, quæ ſeptem, & non octo, ut in codice corrupto legitur, poni debent, ut computatio Seſtertiorum, ut ex ea uſuræ ſemiſſium recte, & ſine uitio ſubduci poſſint, quas ex occaſione menſurarum, & Seſtertiorum hoc loco declarare libuit, ut uno contextu duæ pulcherrimæ, & utiliſſimæ Plinii, & Columellæ computationes & obiter Amphora, & Vrna diſcutiãtur, & codex Columellæ corruptus corrigatur. Vſuræ igitur ſemiſſium nõ ſemis ſortis. ſ. ex centum quinquaginta, ut diu inſcite creditum, ſed ſex pro centum reddunt. exempli gratia, ut qui cẽtum dederit, annua ſex pro uſuris ſemiſſibus recipiat. ſi mille ſexaginta, & ſic ex quacunq; ſorte ſex pro centum annua referat. Quæ adeo ciuiles, & modicæ, ut Plinii uerbis utar, exiſtimatæ ſunt, ut etiam noſtris ſæculis, non pro odioſa decoctura, ſed quaſi pro beneficio receptæ ſint, & ſi loco pretii ſit res, quæ fructũ reddat, iam quaſi etiã a noſtra religione tolerantur, & ex eo Semiſſes dictæ ſunt, ꝙ ſemis cuiuſcunq; pecuniæ, cuius erit ſors, quolibet menſe reddat. Quæ ſi integram pecuniam quolibet menſe præſtaret, duodecim annua referret pro centum. Exempli gratia (ut etiam hebetioribus pateat) qui centum aureos dedit, dimidiatum aureum quolibet menſe accipiet, & ſic in anno ſex integros, & ita de qualibet ſumma, & ſpecie pecuniarũ, & inde uſuræ ſemiſſium dictæ ſunt, ꝙ ſemis quolibet mẽſe pro centum pecuniæ traditæ reddant, quæ diu latuerunt, quia ratio ignorabatur. Et adhuc credo laterent, niſi Columellæ cõputatio libro quarto cap. tertio eas demõſtraſſet,

Digitized by Google

Et alia Plinii quæ amphoram oſtēdit libro quarto cap.iiii.
quos declarare conſtitui, & ut melius intelligantur, Seſter/
tios in pecunias noſtras conuertam. Columella igitur lo/
co ſuperius adducto; qui cupidiores, etiam qui duntaxat
utile reſpiciunt, ad honeſtiſſimam, & pulcherrimam agri/
culturæ artem excolendam, etiam ſpe lucri alliciendos co/
gitauit, non tantum uerbis laudando, & ſuadendo, quod &
alii authores, ſed re ipſa calculo appoſito, & ratione ſub/
ducta, omni fœnore, & omnium aliarum artium maxi/
me cultura uinearum quæſtuoſiſſimam demonſtrare uo/
luit. & ut clarius id præſtet, ponit quempiam emiſſe fundū
ſeptem iugerum, & non octo, ut corrupte in impreſſis legi
tur, & in hoc Hermolaum erraſſe dixi, quia ſi octo iugera
ponas, & pro ſingulis ſingula millia Seſtertiorum expenſa,
computatio nō procedet ad ſummam, uidelicet ad uiginti
octo millia, ſi ſeptem ex amuſſim conuenit. Ideo legas iuge
ra ſeptem, & pro eis ſeptem millia Seſtertiorum nummo/
rum expenſa. quæ ſumma ad noſtras pecunias relata, facit
ex noſtris aureis de Camera (ut in Seſtertio dixi, uidelicet
librarum ſex, uel ſolidorum Venetorum centum & uiginti)
centum ſeptuaginta quinq;. Item uinitorem eſſe emptum
Seſtertiis nummis octo millibus, ex noſtris aureis ducentis.
Item uiuiradices, & pedamenta, & alia neceſſaria ad uineam
conſtituendam, duo millia pro quoq; iugero, & ſic pro ſe/
ptem quatuordecim millia Seſtertiorum ex noſtris aureis
tercenta, & quinquaginta, hoc caput eſt uiginti nouē millia
Seſtertiorum nummorum ex noſtris aurei ſeptingenti, &
uiginti quinq;. huius ſummæ uſuras Semiſſium uidelicet ſex
pro centum quolibet anno, pro duobus primis, quibus ui/
neæ domino fructum non reddiderunt, & ſic caput illo

Digitized by Google

ſpatio mortuum extitit, ponit tria millia quadringentos, & octoginta Seſtertios nummos domino decoxiſſe, ex noſtris aureis octoginta ſeptem additis uſuris ſorti caput fit Seſtertiorum triginta duorum millium quadringentorum, & octoginta, noſtrorum aureorum octingentorum & duodecim. Huius etiam ſummæ uſuras Semiſſium ſubducit modo iam dicto, quas ponit eſſe Seſtertios mille nongentos, & quinquaginta, ut calculus in numero rotundo procedat, tamen ſi recte computētur Seſtertius deerit, & ſic ex noſtris aureos quadraginta octo, & dodrans alterius, ideſt ex quatuor aurei partibus tres, & ſic Marcelli Veneti nouem. Cum igitur Columella in hac computatione bis ex ſorte uſuras ſemiſſium ſubducat, & utroq; calculo ex ſorte propoſita ſummæ uſurarum ſubductæ ſex pro centum excipere reperiantur, nulli dubium poteſt eſſe, quin huiuſmodi uſuræ ſex pro centum ex annua ſorte percipiant. Et ulterius procedendo, quod propoſuerat, confirmat ſeptem iugera pretio, & impenſa ſuperius adducta, comparata minimo redditu ſingula ſingulos culeos uini refundere, qui uiliſſima annona tercentis Seſtertiis nummis. ſ. aureis noſtris ſeptem, & ſemis ſinguli diſtrahātur, & ſic ſeptem culei duobus millibus & Seſtertiis cētum ſcilicet aureis noſtris quinquaginta duobus cum dimidio, & ſic omnino adhuc excedūt uſuras ſortis prædii comparati, quæ fuit Seſtertiorū nummorū mille nongentorum, & quinquaginta, & ſic aureorum noſtrorum quadraginta octo, & dodrantis aurei. Sed extirpandam uineam ſcribit, cuius ſingula iugera ad minus tres, ſeu plures culeos non reddant, & aliquando octo, ut Varro, Plinius, & ipſemet Columella alio loco atteſtantur. Et ſic culturam uinearum ex uino, & plantis nō ſolum modici fœnoris, ſed

Digitized by Google

cuiuſcunq; quæſtuoſiſſimæ mercaturæ redditus excedere, & honeſtiſſimo, & quietiſſimo fructu eam exercētes diteſce re demonſtrat, & obiter declarat Culeum quadraginta urna rum eſſe capacem. Hoc idem de uſuris, & amphora confir mat Plinius loco ſuperius adducto, pulcherrima computa tione docens, quid manceps pertinax nimia ſuæ mercis re tentione amittere poſſit. Conſtituit.n.amphoram uini cen tenis nummis Seſtertiis, ideſt aureis noſtris duobus cum di midio fuiſſe emptam Opimio conſule, ſeruatumq; uinū, ut uetuſtate pretioſius fieret centum, & ſexaginta annis uſq; in tēpora Cai Cæſaris Germanici filii, & quarti in ordine prin cipum Romanorum. Et ut auaritiam pariter, & ſtultitiam mancipis taxaret, ſcribit emptorem non minus lucri, & cer tioris ex pretio uini ſeruati per tot annos uſuris Semiſſibus, quæ ciuiles, & minime odioſę ſunt, percipere potuiſſe, quā ipſius uini tam longo curriculo temporis ſeruati, & mille periculis, & iacturis expoſiti, cuius unciæ, quæ ſunt nongen tæ, & ſexaginta pares eſſent ſeſtertiis, qui cētum, & ſexaginta annorum ſpatio uſuris ſemiſſibus contrahi potuiſſent, & ſi aliter ſenſiſſe Plinium, & adhuc maiori ſtultitia mancipem taxare uoluiſſe opiner, cōputando ſingulas uncias illius uini per tot annos ſeruati pretium totius amphoræ æquaſſe, uel potius ſuperaſſe, ſi uſuræ ſorti quotannis multiplicādo ad dantur, & ex his uſuræ adhuc ſubducant. Liquidorū men ſuris ita declaratis, ut quid unaquæq; ipſarū pondere, aut ca pacitate ab altera differat, ītelligi poſſit, nunc Siccorum, ut frumēti, & alioꝝ ſeminū quibus alimur, & uita cōſtat, & alia rum rerum, quæ non fluida, aut fluxa in commercio, & uſu apud antiquos fuerunt, menſuræ dicendæ ſunt, quas admo dum paucas, & aliquādo liquidoꝝ, ut Seſtariis ad ſicca uſos

Digitized by Google

fuiſſe reperio, quod etiam temporibus noſtris euenire uide-
mus, ut quæq; ciuitas una, aut altera menſura ad ſicca contẽ
ta ſit, quas multiplicãdo, aut diminuẽdo uſq; ad quartarios
ſuas res diſtrahere, & cõmercari cõſueuerit. ita & ãtiqui Græ
ci medimnis, Latini modiis in cõmerciis fere paſſim uſi ſũt.
Modii ſex medimnũ cõficiunt, Seſtarii ſexdecim modiũ.
Seſtarios pono, quia & his ſicca, & humida metiri conſueue
rũt. hoꝝ ſinguloꝝ põdus ſupius ſcripſi fuiſſe libræ, & beſſis,
ideſt unciaꝝ uiginti. Modii pondus ex cõputatione ſeſtarii,
& amphoræ ſuperius adducta fuit librarũ uiginti ſex, & un-
ciarũ octo, medimnum librarũ cẽtũ, & ſexaginta. nã Fauini
carmine de ponderibus ſuperius adducto demonſtrat, ſeſta
rios ſexdecim modium, modios tres amphoram, binas am-
phoras medimnũ cõficere. cuius authoritatẽ ob id maxime
ſequor, quod eſt antiqui nominis, & in humidorũ mẽſuris,
quę ſcripſit, aliis authoribus cõprobant. Accedit etiã quod
pondera oĩum iam dictaꝝ mẽſuraꝝ, prout poſita ſunt, cal-
culo ad iuicẽ cõueniũt. quod medimnus ſex modios ĩ ſe ha
beat, ex pluribus authoribus colligi poteſt, ſed Cicero mihi
ſufficiat in Verrina quarta, in qua pluribus locis computãdo
demonſtrat, modiũ eſſe ſextã partẽ medimni. Nec ignoro ĩ
uita Põponii Attici legi fuiſſe ſeptimã, ſed ibi locũ eſſe cor
ruptũ authoritate aliorũ conuincit. de pondere uero, quod
ſuperius dixi fuiſſe librarum centum & ſexaginta, aliquantu-
lum hæſito, quia apud Pauſaniam legitur, fuiſſe niſi cẽtum
& octo, tamen primæ opinioni magis aſſentio, quia cæte-
ris ponderibus magis conuenit. De pondere modii difficile
puto poſſe affirmari, cum ea, quæ metiendo capiat, ut triti-
cum, legumina, & alia huiuſcemodi ſicca, nõ ſolum genere,
ſed etiam ſpecie inter ſe, bonitate, aut natione diuerſiſſimi

Digitized by Google

ſint ponderis ꝙ in humidis non ſic euenit. quæ nõ multum pondere differunt, ut uinũ, & aqua, & huiuſcemodi dilutiora, craſſiora uero, ut mel, & oleum ſpecie inter ſe parum uel nihil, genere non multum, & quaſi certa menſura, quia mel a melle, & oleum ab oleo pondere parum differt, illudq; ab iſto. Et quicqd eſt quaſi certa menſura differt, ſed in hoc, id quod ratio ſuadet, authoritate Plinii uidet̃ cõprobari, menſuras liquidorum quaſi certo pondere fuiſſe, ſiccoꝝ fere uario, quia in illis nihil uacui, & fere eadem natura, in his multum uacui, & diuerſiſſimę ſpecies, & ideo ſi ſeſtario, aut modio liquida metiamur, ſua pondera reperientur habere & uniformia. Si uero ſicca, ratione iã dicta, diuerſiſſima, quod authoritate comprobat̃ Plinii lib. octauo cap. vii. ſcribit. n. modium tritici Gallici non excedere uicenas libras, & aliarum prouinciarum parum ultra, & tamẽ ſi modius pondere liquidi metiat̃ ratione amphoræ, & ſeſtarii, hoc eſt, ut amphora tres modios capiat, & ipſe ſeſtarios ſexdecim, utraq; ratione erit põdere ſtabili, & nõ uariato bonitate, aut natione, ut in ſiccis librarum. xxvi. & unciarũ octo. idem uidetur comprobari de ſeſtario cap. nono & decimo, & ſequẽtibus. Ex his non abſurde colligitur antiquos humida pondere ſere certo, ſicca uero uario, uel ſola capacitate metiri in uſu habuiſſe. & exemplũ ſumi poteſt de modio & ſeſtario, quod in humidis haberent pondus conſtitutũ, in ſiccis ſola capacitate cenſerent̃. Idq; experiendo deprehendi uaſis ad menſuram antiquoꝝ fabricatis, quoꝝ contenta ſicca, & humida pondere multum differre cognoui. uidetur tamen Plinius eodem cap. maioris menſuræ modium feciſſe, cum ſcribit ſexaginta pondo panis e modio referri, & reliqua. ſed aut locus eſt corruptus, aut aliter debet intelligi, & illud idem

Digitized by Google

dici poteſt in capite decimo, cum ſcribit centum & uiginti duos panes e modio ſimilaginis iuſtum eſſe confici, quia aut panes erant exigui, aut numerus eſt corruptus, quia modius antiquus tot panes formæ, aut magnitudinis noſtri téporis referre non poſſet, & ex his quæ ſequuntur, colligi poteſt, cum ſcribit ex tribus ſeſtariis madidis pultis modium reduci, quia eadem proportione poſſet ex modio, qui eſſet uigintiquinq; librarũ, uel circa ſexaginta libras panis referri. Idemq; exiſtimari debet, et ſi alibi aliquando maioris menſuræ modium uideatur innuere, cum ipſemet Plinius menſuram ſuperius poſitam non exceſſiſſe pluribus in locis demonſtret, & maxime eodem capite ſeptimo ſuperius adducto, comparando triticum ordeo, quod dicit non exceſſiſſe libras quindecim, & fabam uiginti duas, & innuit triticum non multum excedere. Item infra cũ ſcribit e modio ſiliginis triginta pondo panis reddi, & parum ſupra dixerat iuſtũ eſſe panis tertiam portionem ad grani pondus accedere, & ſubinde ſequentibus loquendo de tritico Alexandrino, & Cyprio, & cap. nono ĩ fine, & cap. decimo & alibi. Sed nonnullis fortaſſe abſurdum, & pene ĩcredibile uidebitur, quod & mihi aliquando, anteq̃; ratio confirmaretur, occurriſſe fateor, antiquos, & præcipue Romanos illo ſæculo copioſiſſimo ſua pene uniuerſa commercia tam exiguis menſuris confeciſſe, & cõtractaſſe. quod & ſi admirabile uideatur, tamẽ uſq; adeo ratione, & authoritate demonſtratum eſt, ut ex ea nulli, niſi ptinacibus, dubiũ relinquat̃. Et p̃ter ea quę ſupius adducta ſunt, & multipliciter adduci poſſent, de amphora & ſeſtario, q̃ tales fuerint, & non maioris menſuræ authoritate Capitolini cõprobabit̃. Scribit. n. in uita Maximini illũ aliquando bibiſſe amphoram uini, & duos, & tres ſeſtarios

ſui ſudoris oſtẽdiſſe. quod utrũq; in menſuris iam dictis mi
rabile dici poteſt. ſed ſi maiorem his modum cõſtituamus, omnino incredibile, quod homo ultra octoginta libras uini uno die hauſerit, & ultra tris ſudoris emiſerit. & in uita Alexandri Mameæ legitur eũ ieiunum ſæpe ſeſtariũ aquæ frigidæ bibiſſe, & ĩ pluribus locis apud authores reperitur, modeſtiſſimos, & ſobrios uiros in cœna nõ ultra ſeſtariũ uini bibiſſe, qua mẽſura & noſtri tẽporis ſobrios homines eſſe contẽtos uidemus. De Congio Plinius libro quartodecimo in fine comprobabit, ſcribens plures fuiſſe, qui tres congios uini uno impetu hauſiſſent, quod pro miraculo adducit, & nõ ab re, ut de amphora ĩ Maximino, ſed ſi maioris mẽſuræ congios arbitremur, penitus Icredibile uideri poteſt. de aliis itẽ mẽſuris liquidoꝝ non ambigit. de medimno, & modio ultra ea quæ ex Plinio, & aliis authoribus ſuperius adducta ſunt, accedit argumẽtũ, uel potius demõſtratio, quæ ſi alia deeſſent, per ſe ſufficeret ad utrunq; comprobandũ, quãuis ſuperuacuũ uideatur argumentis quærere, quod aſſertionibus ſuperius adductis, & quæ adduci poſſent, manifeſte cõprobetur, tamẽ quia ad cõparandas noſtras mẽſuras cũ antiquis aliquid cõferre poteſt, apponere uolui. Omnes antiqui agricolæ, & præcipue Columella lib. ſecũdo cap. nono, Plinius libro decimo octauo cap. uigeſimo quarto, & alii ſuis locis ſcribũt modios fere quinq; tritici pro ſemine iugeri ſatis eſſe, milii ſeſtarios quatuor. Cicero ĩ Verrina quarta modios tritici ſex, ſ. medimnum in iugero ſatis eſſe ſcribit, qui modus etiã noſtræ ſementationi fere conuenit, ſi quãtitas ſeminis cũ ſpatio terræ cõputet̃, & hoc, quid modius fuerit, demonſtrabit. Quod, ut clarius fieri poſſit, ꝓfari cõuenit, & ueniã deprecari, ſi in his declarandis, & computandis, quia

latinã deſunt, uocabulis uulgatiſſimis, & omnino populari-
bus utar,ne in illius errorẽ incidam,qui cũ uellet latinitatem 53
ſeruare,culpam inſcitiæ ſubiit,& pro menſura Veneta,quæ
uulgo ſtariũ appellatur, & ultra centũ & ſeptuaginta librarꝝ
minorꝝ tritici capax eſt,ſeſtaria tam exiguæ menſuræ Vene-
tiis ſuper hoſtio Annonariæ curiæ ĩſculpi fecit.quod oĩum
literarꝝ profeſſorꝝ, qui plurimi, & eruditiſſimi in illa inclyta
ciuitate reperiunt,maxime intereſſe puto , magiſtratus ad-
monere,ut illud uocabulũ ſeſtariorꝝ exculpi faciant,& eorũ
loco patrias menſuras proprio nomine uel circũſcripto in-
ſcribi iubeant, cũ huiuſmodi inſcitia non ſine nota illius al-
mæ ciuitatis tot doctiſſimorꝝ uirorꝝ patriæ,& alũnæ ab ex-
ternis tranſeũtibus legatur.quod dixiſſe nõ mihi arrogãtiæ,
ſed inſitæ in eam ciuitatẽ pietati, quã illi debeo, & libenter
agnoſco,aſcribat. ſed his omiſſis ad computationẽ propo-
ſitam reuertar. Cãpus noſter (ſic.n.modũ,& mẽſurã agri
appellamus) qui, ut ĩferius demõſtrabit,iugero ãtiquo pro
portione maior eſt, duabus noſtris menſuris tritici,quas ſta-
ria patrio uocabulo appellamus,& altero dimidiato,ſeu nõ
integris tribus fere ſeritur pro qualitate terræ, & arbitrio ſe-
rentis. Menſura noſtra ex collatione inferius demonſtranda
pluſquam duos modios antiquos continet qui ſi pondus in
ſiccis ſeruaret,quod eis in humidis atribuit, uidelicet libras
uigintiſex, & uncias octo,paulominus duo noſtram menſu-
ram æquarent; quã fere quadraginta duæ libræ maiores no
ſtræ unciarum decem ſeptem boni tritici implent, minores
uero unciarum duodecim circa quinquaginta nouem. Et
antiquos huiuſcemodi menſura,capacitate,& non pondere
conſtituto uti conſueuiſſe puto. Sed ſi pondere ſicci cenſe-
batur,multo minor reperitur ratione iam dicta ,quia uacuũ

Digitized by Google

ineſt, & ideo modius ſicci ad libras.xxiii. uel circa contrahi/
tur pro qualitate materiæ, ut in Plinio legitur, quod uaſe ad
pondus ſeſtarii fabricato uerum eſſe deprendi, eo ſexdecies
tritico impleto, & euacuato, idq; uniuerſum ad pōdus ſupe
rius poſitum accedere inueni, quod duplicatum libras qua/
draginta ſex efficiet, mēſuram uero noſtram eodem tritico,
& ſtatera ſeu lance quinquaginta octo, uel circa pēdere de/
prehendi, & ſic menſura noſtra duodecim libris uel circa
duobus modiis antiquis maior reperitur, & ſic campus no/
ſter pluſquā iugerum triginta libras ſeminis requirit, & erit
proportio a cētum & quindecim, quas requirit iugerum, ad
cētum & quadraginta quinq;, quas requirit campus noſter,
qua ratione ſementatio iugeri & cāpi noſtri fere conuenit.
Nam teſte Columella libro ſexto cap. primo, Iugerū uigin
ti octo millibus, & octingentis pedibus quadratis conſtat.
Campus uero noſter ſex pedib; hoc eſt menſuris ſex pedum,
quas perticas appellamus, ſexaginta in longitudinem exten/
ditur, quatuordecim in latitudinem. qui modus triginta
millia ducentos & quadraginta pedes quadratos conficit,
Sed Iugerum antiquum nō ſolum numero pedum, ſed etiā
eorum quantitate noſtro campo minor erat, quia pedes an/
tiqui, quibus iugerum metiebantur, noſtris pedibus fere un/
cia, & ſic duodecima parte breuiores reperiuntur, adeo q, ſi
quantitas ſeminis cum ſpatio terræ computet, ſementatio
noſtra ab antiqua parum differre reperietur. & ex his etiam
mores antiquorum in hoc & modius quid fuerit, demonſtrat.
Hæc uolui dixiſſe non tantū, ut menſuram modii, qui ſupra
ſatis fuit declaratus, confirmarem, ſed ut mores, & conſuetu
dines antiquorū, ſicut in aliis, etiam ratione ſeminandi a no
ſtris non multum differre demonſtrarem, quod hoc toto


Digitized by Google

opuſculo præcipue mihi cordi fuit, ut ex moribus, & cõſuetudine antiquorum ad quæq; peragenda & cõſtituenda inſtructiores, & prudentiores efficeremur. Cum itaq; in ſeſtertio antiquorũ pecunias declarauerim, & noſtris contulerim, & ſuperius etiam eorum menſuras pro ingenioli mei uiribus demonſtrauerim, reliquum eſt intentionis, & propoſiti noſtri, ut eas noſtris conferamus, & cuius proportionis ſint ad noſtras, quãtum fieri clarius poſſit, demonſtrare conemur, quas ſummatim, & quã breuiſſime repetere conuenit, ut in earum collatione ad noſtras memoriæ propius ſint. Diximus duas Heminas ſeſtarium, ſex Seſtarios Congium, octo congios Amphorã, uiginti amphoras Culeum implere. Itẽ quod Amphora duas urnas, & tres modios caperet, &, ut pondera etiam addam, dixi Heminam decem unciarũ eſſe, Seſtariũ uiginti, Cõgium decem librarum, Modium uiginti ſex, & beſſis, Vrnã quadraginta, Amphorã octoginta, Culeum mille ſexcẽtarum. His ita propoſitis & declaratis, cum nullæ antiquæ menſuræ nunc extent, & ob id quaſi impoſſibile uideret eas noſtris comparari poſſe, & tanto difficilius, quod etiã menſuræ noſtri temporis fere nullæ inter ſe conueniant, & quæq; ciuitas, nedum prouinciæ, ſua pondera, & menſuras ab aliis diſſimiles habeant, tamen his non obſtantibus, rationem inueniſſe opinor, qua antiquæ menſuræ nunc conſtitui, & inueniri poſſint, & quiſque patrias menſuras cuiuſcunque ponderis, uel capacitatis fuerint, illis utroq; modo, ſcilicet uel pondere, uel capacitate ualeat conferre. Sed rationem afferamus, ex Fauino ſæpius adducto, & aliis colligitur capacitatem amphoræ pede quadrato conſtare. conſtituatur igitur uas huius menſuræ, cuius uacuum ſit cubus, undique pede quadrato termi-

Digitized by Google

natus.ſ.altitudine,latitudine,lõgitudine,ex huiuſmodi uaſis comparatione omnes antiquæ menſuræ maiores, & minores augendo,uel diminuendo conſtitui poſſunt, & eadem ratione obiter noſtræ illis conferri, quippe huius uaſis dimidium erit urna,tertium modius, octaua pars cõgius,quadrageſima octaua ſeſtarius. Si pondere magis placet, fabricetur uas,cuius contentũ ſit ponderis librarũ decẽ,erit congius,ſi unciarum uiginti, erit ſeſtarius, & proportione ponderum aliæ omnes antiquæ augẽdo, uel minuendo conſtitui poſſunt. Quarũ ratio incerta eſſe nõ poteſt,ſi earũ põdera capacitati a primis ad omnes ſequentes initiũ capiẽdo ſeu a minimis,ſeu a maioribus cõueniet. exempli gratia diximus amphoram eſſe dimidium medimni, amphoræ urnam,tertiũ modium,octauam partẽ congiũ, & reliqua,quæ non expedit repetere,harũ omnium pondera, & reliquarũ proportione capacitati conueniunt, prout ex ordine poſitæ ſunt.ſi capacitas igitur ipſarum proportione ponderis cuilibet earũ attributi conuenit,cui dubium poteſt eſſe,eas eſſe menſuras antiquas, quibus conſtitutis ſuas patrias menſuras quilibet ſeu capacitate, ſeu pondere conferre poteſt, & quid quæq; ipſarũ ad antiquas proportionis habeat, cognoſcere.i.ſuas patrias, nunc menſuras maiores,ſeu minores ad antiquas ratione iam dicta conſtitutas proportione conferẽdo,& obiter legendo prouentus,expenſas,& commercia antiquorum intelligere. Quod ſi meo labore legentes hoc conſequuti fuerint, gratias habebunt. ſi uero ipſi ex ſe melius,uel ex his minus exacte,ſaltem uoluntatem proficiẽdi laudabunt. Sed dicet fortaſſe quiſpiam ignotum per ignotius docuiſti,mẽſuras pede, & libra conſtituiſti ipſiſmet menſuris ignotiores, & quales fuerint apud antiquos, & quomodo noſtri cõ

Digitized by Google



ueniant fortaſſe ignorat̃, ſed certũ eſt noſtris fuiſſe minores.ideo & huic ſcrupulo occurrẽdũ eſt. librã in ſeſtertio demõſtraui, & ſicut in ea cõſtituẽda ad prĩcipia naturalia,q̃ ſtabilia ſunt,& raro ſæculis uoluentibus mutant̃, uidelicet ad ſiliquas,q̃ ſemp̱ fuerũt,& ſũt uniformes,& eiuſdẽ qualitatis, ita & ĩ pede ad digitos humanos recurrẽdũ,qui nõ craſſi,aut graciles ad hoc eligẽdi ſũt,& teſte Vitruuio, & Columella lib.vi.cap.i.ſexdecim pedẽ conficiunt, qui certe meo patrio pede & fere oĩbus,qui noſtro ſęculo ĩ uſu ſunt,breuior fuit.cõperta ſcribo,pedẽ meũ patriũ,quo ad metiẽdũ ſpatia utimur,ſexdecĩ meis digitis,& q̃buſcũq; cõmunibus uncia.i.duodecima parte longiorẽ eſſe, & plus pro qualitate digitoꝝ reperiri.& idẽ fere de aliis noſtri tẽporis exiſtimandũ eſt,& minorẽ fuiſſe ãtiquũ etiã nomẽ arguit.ſ.a pede humano fuiſſe appellatũ & ad eius mẽſurã cõſtitutũ. Quo oẽs pedes noſtri tẽporis q̃bus ad metiendũ utimur, longiores ſunt.ſed utinã aliaꝝ antiquaꝝ mẽſuraꝝ modus extaret, ſicut pedis antiq,q Romę pluribus ĩ locis, & p̃cipue ĩ hortis Angeli Colocii, uiri ĩter alios qui Romæ degũt,ut audio, doctiſſimi manifeſte deprehendit̃.Cuius exẽplum & longitudinis dimidiũ in hoc loco integri nõ capaci imprimi curaui, ut ad eius menſurã uel alterius digitis cõſtituti,quocunq; loco quis reperiat̃ amphorã fabricare poſſit, & ex ea reliquas, & ſi pondere magis placet,libra ſiliquis conſtitui poteſt,& ex ea omnes menſuræ antiquæ, & eadem libra noſtris conferre, quã eandẽ,qua nos utimur,fuiſſe in ſeſtertio docui.

I

Sed ſi aliquibus in locis non conueniret, ſiliquis uel denariis
antiquis conſtitui poteſt, & ex ea reliquæ menſuræ, nec ſili/
quis carere poſſumus, quæ fere iam ubiq; ſunt cõmunes. de/
narii etiam ipſi adeo iam uulgares, & noti ſunt, ut nullam pu
tem nunc eſſe prouinciam in qua aliqui ex his non reperian/
tur, ſed ut ab aliis nũmis argenteis antiquis dignoſcãtur, qui
fortaſſe non ſint pondere Drachmæ, admonere cõuenit ue
ris denariis hanc notam 𐆖 fere paſſim impreſſam fuiſſe,
qua antiqui hunc nũmum numerum denarium in ſe habere,
uidelicet decem aſſes demonſtrabant, & ad differẽtiam lite
ræ x linea tranſuerſa ſecabant, ut in figura ſuperius poſita ap
paret. ſed cum noſtri ſæculi ſcriptores, & impreſſores quid
eſſet non intelligerẽt, in libris apponere omiſerunt, & hinc
multos errores irrepſiſſe pluribus in locis obſeruaui, & maxi
me in Cornelio Celſo in compoſitione pharmacorũ. quo/
rum partes, & ſimplicium pondera male intelliguntur, & in
eis multos uidi hæſitare. Idq; maxime ex figuræ ſuperius po
ſitæ omiſſione euenit, quia fere paſſim ĩ libris impreſſis, uel
his proximis ſæculis ſcriptis compoſitio pharmacorum, ut
infra deſcripta apparet. Exẽpli gratia piperis p. xxx. uel alio
numero ſimili modo, ſed qd litera p. aut quid numeri ſigni
ficarent me diu ignoraſſe profiteor, & tandem ex antiquiſſi
mo libro in quo figura denarii apparet utrũq; deprehẽdi, ui
delicet literam p. pondo ſignificare, & ex pluribus literis x
primam denarium, reliquas numerum ſignificare, ut infra
piperis. 𐆖 xx. quod ſignificat piperis pondo denariorum
uiginti, & hoc exemplo reliqua intelligi poſſunt. Simili mo
do in Plinio multotiens hanc figurã deeſſe obſeruaui, maxi/
me cũ pretia rerũ deſcribit, uerbi gratia Cinnami pretium
in libras, & ſequit̃ numerus ſine pretio, ſed deficit figura de/

Digitized by Google

narii,uel ſeſtertii, & intelligi debet Cinnami pretiũ in libras denarii uel ſeſtertii. xx. uel.xxx. aliquando libræ deſunt,aliquando loco ſeſtertiorũ poſitæ ſunt, & econtra. Hæc quæ ex tranſpoſitione, uel omiſſione figurarũ errores, & difficultates multis afferre cognoueram, ex occaſione denarii apponere uolui. Scientes nonnullis qui fortaſſe hæc ignorabant, non inuideant, nec mihi arrogãtiæ tribuant, ſi non nulla ſtudio docẽdi, quæ fortaſſe quibuſdã friuola uidebũtur, non omitto,& ex his puto humidorũ,& ſiccorum mẽſuras antiquas reperiri, & noſtris ſatis commode conferri poſſe. pro quorũ pleniore tractatu ex occaſiõe pedis aliqua de mẽſuris terræ & ſpacioꝝ addere libet,quas omnes Columella lib.vi. ponit, & declarat, quẽ locũ hic citare ſufficeret, & ſi Varro, & Plinius fere eadẽ ſcribãt, ſed ex Columella quædã pauca breuiſſime colligam, ut eaſdem noſtris cõferre poſſim, & a minimis ordiar. ſuperius diximus ſexdecim digitis conſtare pedem, quinqꝫ pedibus paſſum antiqui conſtituerunt, centum & uiginti quinqꝫ paſſibus ſtadium, octo ſtadiis milliarium, a mille paſſibus, quia tot conſtat appellatum, Et his menſuris antiqui & maxime latini paſſim interualla regionum, & prouinciarũ metiebantur,ut omittam ſchenos,qui triginta ſtadiis,& paraſangas, quæ quinquaginta cõſtabant. Agricolæ uero aliis ex eiſdem tamen principiis confectis utebantur.ſ.pede & digitis, ut Plinius libro decimo octauo cap.iii. Varro libro primo cap.x.& Columella loco ſuperius aducto atteſtantur, ex quibus duas ſolummodo nunc adducam,quæ frequentiores fuerunt. Et ideo eas declarare,& noſtris cõferre operæpretiũ fore uidetur,aliæ ibidem, & alibi legi poſſunt quibus nihil addi cõuenit. Sed tantũmodo has duas adducere,& conferre libet. actus, & iugera frequẽtiſſi

Digitized by Google

mæ, & fere cōmunes fuerunt antiquorum agricolarū menſuræ, & maxime Romanorum. actus undiq; pedibus centum & uiginti conficitur, duplicatus quocunq; eius latere iugerum fit, quod pedes ducentos, & quadraginta longum eſſe debet, & centum & uiginti latum, & in pedes quadratos diſtributum uiginti octo millia, & octingentos in ſe habet, ut ſuperius ex Columella dictum fuit, & in huiuſmodi minimas partes diuiditur. Quia aliter commode huiuſcemodi ſpatia metiri non poſſunt, niſi in certas & minimas partes redigantur. his ita conſtitutis fortaſſe quiſpiam requiret, ut rationem menſurandi agros apponerem; quæ extra propoſitum uidetur, & per Columellam authorem luculentiſſimum loco ſuperius adducto ſatis commode cōſcribit, ſed quia codex in plurimis, & præcipue in numeris, in quibus tota uis cōſiſtit, corruptus eſt, operæpretium fore putaui eius primæ cōſtitutionis menſurarum, ex qua uniuerſa ratio deducit, nōnulla loca, quæ corrupta ſunt, corrigere, & aliqua interpretari, & declarare, & in primis admonere conuenit, authorem ipſum iugerum, ut commodius metiri poſſet, in Aſſem cōſtituiſſe, & in hoc etiam noſtri temporis agri menſores imitantur, qui metiendo agros noſtros in denarios, & libras hos diſtribuunt, & eis computant quantitatem terræ. As ſeu libra, ut in ſeſtertio declaratum fuit, ducenta & octoginta octo ſcrupula capit. Ideo iugerum ad eius exemplum in totidem partes diſtribuit, Et quia aliquando etiam minora terræ ſpatia ueniunt in æſtimationem, ſcrupula diuidit in ſemiſcrupula, Et ideo prima pars, & ſic minima iugeri erit quingenteſima ſeptuageſima ſexta totius, quia tot ſemiſcrupula in aſſem cadūt, & in hoc numerus corruptus in Columella poſſet aliquibus errorem inducere. Legitur enim nu

Digitized by Google

mero ſcrupulorũ, uidelicet ducẽtorum & octoginta octo. ſed duplicatus legi debet, & ſic quingentorum ſeptuaginta ſex. his ita conſtitutis unicuiq; harum partium ſuos pedes proportione ex ſumma uiginti octo millium, & octingẽtorum tribuit, quibus quadratis diximus iugerum conſtare. ponamus exemplum in prima parte, ut clarius reliqua intelligantur, & in hoc officio ĩterpretis Columellæ fungamur. diuiditur Iugerum in quingenta & ſeptuaginta ſex ſemiſcrupula, quia tot numero in aſſem cadunt, & unicuiq; harum partium quinquaginta pedes tribuantur. Si quingenties ſeptuagies ſexies, ideſt pro numero ſemiſcrupulorum multiplicentur, uiginti octo mille, & octingenti eſſe reperientur. Itaq; in huiuſmodi parte iugeri quinquaginta pedes quadratos eſſe dicas, uel ſi in ſcrupula diuidas, qui ſunt ducenti & octoginta octo, in huiuſmodi parte centum pedẽs quadratos ineſſe reperies, & ſic proportione reliquarum partium uſq; ad integrum aſſem, quo iugerum intelligitur, computando ratio deducenda eſt, ut clara ſit. & codex pluribus in locis, & maxime in numeris corruptus hac ratione, & computatione corrigi poteſt, quam ulterius fortaſſe proſecutus fuiſſem in menſuris agrorum, & diſtributione plãtarum declarando, & interpetrando Columellam, niſi extra propoſitum uiſum fuiſſet, & ueritus eſſem id mihi potius arrogãtię, q̃ ſtudio docẽdi aſcribi. Cum neq; eruditius, neq; elegãtius res pertractari poſſit. aliqui tamẽ loci corrupti corrigi poſſent, ſed non deerunt, qui melius q̃ ego intelligant, & corrigant. Iam ſatis ſuperq; ſit mihi homini occupatiſſimo, & uariis & moleſtiſſimis negotiis implicito, & ut alia omittam, iam decem filiorum patri, ſeſtertio iam pluribus annis perfecto ad demonſtrandos antiquorum mores, hæc pau-

Digitized by Google

ca inſuper aggregaſſe, & congeſſiſſe, pleraq; uero alia quæ olim ſtudio uigente comentaueram negotia nunc ſupprimunt, quæ tamen & ipſa aliquando fortaſſe edentur, ſi uita & otium ſuppetat.

FINIS.

ROMAE IN AEDIBVS
F. MINITII CALVI
ANNO M.DXXIIII.

38 850606

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALphabeticus Index rerum & dictionũ memorabiliũ, quas in eruditiſſimis libris Leonardi Portii Vicentini lector diligẽs obſeruare debet.

Digitized by Google

Digitized by Google

¶ Actus pagina lxiiii.uerſu.ii
Adamas cur ĩ ęſtimatiõe.ii.i.
Aere ſignato quando primũ Romani uſi ſint. vi. xviii.
Alpes Carnicæ xxxv.xv.
Alexander Mameæ lvi. v.
Amphora xlvii. xiii. xlviii. xiiii. lv. xxviii. lix. xii. & eius forma lix.xxviii.
Aquila cur dicat iecur Prometheí rodere ii.xi.
Argento ſignato quo tẽpore Ro. uti cœperint vi.xxiiii.
As quot ſcrupula contineat. lxiiii. xxiiii.
Aſſes librales vi.xix.
Aſſes unciales quomodo ſignati vi. xxi.
Aurũ quotidie diuerſimode æſtimatur. xxiii.ix.
Aureus nummus noſtri temporis xxvii.iii.
Aurei de Camera xxx.xx.

B

Bigati iii.xxvii.
Bucephalus quot talẽtis emptus xiiii.ii.
Baiochi xxx.xi.

C

Cãpus maior eſt iugero antiquo lvii.xvi.
Campus quibus menſuris cõſtet lviii.xvi.
Carbunculi cur in pretio ii.i.
Ceratium græci, latini ſiliquã dicunt xxix.xvi.v.xvi.
Charaſti eiuſdẽ põderis quo ſiliquæ. v.xviii. xxix.xiii. & unde diſti. xxix.xvi.
Charoba quæ uulgo dicitur, antiqui ſiliquã appellabant. xxix.xv.
Cherſoneſſos xlv.iii.
Cymolia creta xxii.xiii.
Cyathus xlvii.ii.
Claſſis vii.viii.
Cocleare xlvii.ii.
Cotila xlvii.iiii.
Congius xxxxvii.iiii.&.xvii. xxxxviii.xiii.lix.xi.lx.v.
Craſſi diuitiæ xxxix.iii.
Culeus xlvii.iiii. &.xiii.xlviii. xiiii.ix.xii.

D

Darici iii.xxv.
Denarius unde appellatus vi. xxvii.
Denarius Ro. cuius ponderis fuerit, & quot ſcrupulo-

rum vii.xxvi.viii.xii.
Denarius argenteus xii.v.
Denarii idē latinis, quod græcis drachmæ iii.xxvii. & qđ fuerint eiuſdem æſtimationis. ix. xx. & quomodo ab aliis argēteis nūmis dignoſcantur. lxii.iii.
Decies xvi.iiii.
Deciens antiqui dicebant. xvii.xxi.
Digiti quot pedē conficiūt. lxi. ix.
Duodecies xvii.xv.
Duodeciens antiqui dicebant xvii.xxi.
Drachma græce, latine denarius iii.xxvi.
Drachmæ quot libram Ro. efficiant xiii.vi.
Drachma eſt octaua pars unciæ.v.iiii. & cōtinet charactos duodeuiginti. v. xi. & quot ſiliquas antiquitus habuerit. v.xii. & quantopere in uſu fuerit Athenienſibus. vi.xiii. drachma Attica.viii. xvii. & quod drachma & denarius eiuſdem æſtimationis fuerint. ix. xx.
Ducatus xxvii.iii.

E

Equitibus Romani triplex ſtipendium præſtabant. xxxiii. xxvii.
Equeſtris cēſus xxxviii.xxiiii.
Exercitus ordinarius quo ſumptu alebatur a Ro. xxxiiii.ii.

F

Ferrū utile in plurimis. ii.xx.

H

Hemina xlvii.iii.xlviii.vii. & eius pondus. xlviii.xii.lix.xi.
Hiſpania quantum uectigal eſſet Romanis. xliiii.iii. & bonorum omnium fertiliſſima. xliiii.xvi.
Humida non multum pondere differunt liiii.xi.

I

Iulii Romani xxvii.vii.
Iugerum quātum ſeminis requirat. lvi.xxiiii. & quot pedibus conſtet. lviii. xiiii. & quomodo fiat. lxiiii.iii. lxiiii xx. lxv.viii.

Digitized by Google

L

Legionis impenſa xxxix.xix.
Legionibus duabus cōſtabat exercitus Romanus ordinarius xxxiii.xix.
Libra Romana quot uncias haberet. iiii. xxvi. & quot drachmas efficiat.xiii.vi.
Libra Attica quot drachmas habuerit v.xxv.
Libra quomodo conſtituenda. lxi. iii. & quot ſcrupula capiat lxiii.xxiiii.
Liquorum menſuræ xxxvi. xxv.liiii.viii.
Locus Columellæ xlviii.xxvi.
Locus Columellæ lxiiii.xiii.
Locus eiuſdem lxii.
Locus Cornelii Celſi lxii.xv.
Locus corruptus in uita Pōponii Attici liii.xxiii.
Locus Iuuenalis expoſitus xv.xi.
Locus Liuii xiii.ix.
Locus liuii xiiii.xviii.
Locus Lampridii.xxviii.xiiii.
Locus Plinii,quē Hermolaus uitiatū credidit viii.xxii.
Locus eiuſdē caſtigatus.ix.vii
Locus eiuſdem xx.xviii.
Locus eiuſdem xxi.xxvi.
Locus eiuſdem xxiiii.ix.
Locus eiuſdem xlvii.xxix.
Locus eiuſdem liiii.xxvii.

M

Marcelli Veneti xxvii.x.
Maximini ebrietas lv.xxix.
Metalla ad cōmercia cōmodiſſima.ii.iii. & nerui terræ dici poſſunt. ii.xvii.
Metallorum uſus in medicina ii.xxiii.
Metallo rudi primum homines utebantur iii.xx.
Medimni liii.v.&.xi.
Minæ iii. xxvii. & mina quot drachmas contineat. iiii.xxiiii. & cur ſic dicta.v. xxix.
Myxtrum lxvii.ii.
Milliarium quot ſtadiis conſtet lxiii.xviii.
Modius ſexta pars Medimni liii.xxi. v.&.ix. & eius pōdus liii.xxvii. eius mēſura.lx.iiii.

N

Nummus generale uocabulum iii.xxviii.
Nūmus argenteus cuius pon/

Digitized by Google

deris, & quot ſcrupulorum fuerit vii.xxvi.
Nummus aureus xxiii.v.
Nūmi aurei antiqui cuius pō deris reperiantur xxiii.xv.

O

Oboli iii.xxvii.
Obolus continet ſiliquas tres iiii.xxvi.

P

Paraſanga lxiii.xxii.
Paſſum quot pedibus antiqui conſtituerunt lxiii.xvii.
Pes antiquus.lxi.ii.& quo nūc utimur in agris metiēdis.lxi. xii.lxiii.xvi.
Pecuniæ unde dictæ. vi.xxii.
Philippei iii.xxv.xxxvi.xxv.
Pondo xxxvi.xiiii.

Q

Quadrigati iii.xxvii.
Quartarii liii.iii.
Quinarius ꝑ quinis libris æris permutabatur vi.xxvii.

R

Redditus po.Ro. xxxvi.vii.
Rhemmius Fauinus. xlvii.xi. &.xlix.

S

Scrupulus continet duos obolos iiii.xxv.
Scrupuli tres faciunt drachmam vii.xxviii.
Scrupulus auri xxiiii.xx.& xxvi.ii.& diuiditur in ſemiſcrupulum.lxiiii.xxvi.
Scheni lxiii.xxi.
Seſtertia iii.xxvii.
Seſtertius permutabatur pro duabus libris, & ſemiſſe.v. xxvii.&.xxx.
Seſtertium duplex maius, & minus x.xv.
Seſtertius quarta pars denarii xi.viii. & dictus quaſi ſemitertius xi.xxviii.
Seſtertia neutro genere maiora, minores uero uirili dicuntur xxx.iiii.
Semitalentum xxi.ii.
Semētatio noſtra ab antiqua parum differt lviii.xxiiii.
Seſtarius. xlvii.iii.&.xvii.xlix. vii.& quo pōdere. xlviii.xii. lv.xxviii.lix.xi.lx.vi.

Digitized by Google

Siccorum menſuræ. lii. xxvi. liiii.viii.
Siliquæ nunq̃ mutatæ.lxi.v.
Stadium quod paſſibus conſtet lxiii.xviii.
Stipendium quod militibus antiquis dabatur non multum differt a ſtipendio noſtri temporis xxxii.iiii.
Stipendii nomine terni aurei militibus tradebanť.xxxiiii. xxii.

T

Talentorum genera iiii.xix.
Talẽtum Aegyptium.iiii.xix.
Talentum Babyloniũ.iiii.xx.
Talẽtum Atticum. iiii.xxiiii. xix.xix.
Talentũ Phœnicium iiii.xx.
Talentum maius Euboicum dictum iiii.xxii.
Talẽtum magnum vii.xxix.
Talentum minus viii.iiii.
Taprobanes Rex unde coniecturam fecerit Ro.iuſtitiæ. ix.iiii.
Tetracini iii.xxvi.viii.ix.

V

Veſtes Ro. tradebant militibus. xxxii.xxviii.
Vicies xvi.iiii.
Vinearũ cultura quæſtuoſiſſima l.x.
Vinea quæ extirpãda li.xxvi.
Vinearũ cultura redditus mercaturæ excedit lii.i.
Vncia quot drachmas habet. iiii. xxix. & quot charactos contineat. v.ix.& quot ſiliquas habuerit. v.xi.
Vrna. xxxxvii. xiiii.xlviii.xiii. lx.iiii.
Vſurę ciuiles,& minime odioſæ. lii.xv.

F I N I S.

Errata

Pagina.xxi.uerſu. xiiii.lege per duo.ll.pagina.lii.uerſu.xvi.in quibuſdam exempl.lege ſeruati.uerſu.xxii.in quibuſdam ubi ſeruarent,lege ſeruati.

Digitized by Google